
JOANNIS ANGELI GUIDARELLI PERUSINI CARMINA

Giovanni Angelo Guidarelli





JOANNIS ANGELI GUIDARELLI PERUSINI CARMINA



[illegible]

[illegible]

EMINENTISS., ET REVERENDISS.
PRINCIPI DOMINO
D. ANNIBALI ALBANO
S. R. E. CARDINALI CAMERARIO

F. P.



IU ancipites fuimus, Princeps Eminentissime, an Jo: Angeli Canonici Guidarelli paucas has Orationes & Carmina, quæ tamen nobis ex asse hæredibus in præcipuam hæredita-

tis partem sunt, typis commendaremus. Hinc enim grati animi memoria erga Patruum, quem semper Patris loco habuimus, Amicorum adhortationes, Civium & Exterorum commune desiderium ad vulgandum incitabant. Istinc verò ipsius Auctoris timida verecundia, & usque ad extremum vitæ cunctatio, purum ac verè Latinum seculum, in quo

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

infinita Sutorum turba ultra citraque crepidam reprehendentium ab incœpto detinebant. Sed vicit omnem repugnantiam Amplissimi Nominis, & Patrocinij Tui recordatio auspicatissima: nam relegentibus nobis hæc exemplaria, opportunè se se obtulit gymnastica Prolusio, quam vigesimo & ultra ab hinc anno idem Patruus, pudore quamvis ingenito in audaciam feliciter commutato, Tibi Mecœnati suo dicavit. Et ea nobis privata ratio nuncupandi integrum opusculum; cui hæc altera potior accedit, Divina nimirum Sapientia, quam in Te dignissimo Nepote redivivam ex Sanctissimo Patruo Pontifice Maximo Mundus admiratur: cujus præsidio sin minus Literatorum commendatio-

nes,

nes, certè veniam speramus; obtrectatorum verò calumnias, ut Tricas & Apinas parvipendimus. Accipe igitur, Princeps Eminentissime, idemque humanissime, serena fronte exile hoc donarium, & qua soles benignitate illud, & nos unà in Tuam Clientelam & fidem, quod ex animo precamur, fac esse dum vivimus. Vale ex Augusta Perusinorum Idibus Julj MDCCXXV.

Eminentiæ Tuæ Reverendissimæ,

Humillimi & Obsequentissimi famuli
Andreas, &) Guidarellj fratres.
Petrus Paulus)

6

CArmina, Prolusiones, ac Orationes nonnullas Joannis Angeli Guidarelli Politioris Sapientiæ in patrio Augusto Lyceo jam publici Interpretis geniali profectò studio cum attentè, diligenterque perlegerim, & cum nihil in illis orthodoxæ Fidei, morumque integritati absonum invenerim, quin potius cum Lucubrationes omnes tum vinctâ, tum soluta oratione Styli candorem, atque elegantiam præseferant, tanquam Literariæ Reipublicæ aliquid allaturas splendoris, ac decoris dignus, quæ Typis mandentur, existimavi. In quorum fidem &c.

Joseph Andreas Nardi pro Illustrissimo ac Reverendiss. Episcopo Librorum Censor.

DE mandato Reverendissimi Patris Magistri Fr. Joannis Nicolai Selleri, Inquisitoris Generalis Perusiæ, Ego infrascriptus accuratè perlegi Prosas & Carmina, Joannis Angeli Guidarelli Perusini, in quibus cum nihil quod Catholicæ fidei, bonisque moribus adversetur, offenderim, dignum Opus censeo, ut in lucem prodeat, Carminis elegantia, latinique Sermonis venustate studiosis Adolescentibus profuturum:

Ex Collegio Perusino Societ. Jesu Die 15. Maij. 1725.

Joannes Coniero ejusdem Collegij Rector,

De

DE Mandato Reverendiſſimi P. Magiſtri Joannis Nicolai Selleri Inquiſitoris Generalis Peruſiæ, annexarumque &c. attentè perlegi Carmina ac Proluſiones nonoullas Joannis Angeli Guidarelli Peruſinæ Cathedralis Canonici, atque Humaniorum Literarum in Patria Univerſitate jam Profeſsoris emeriti, ac io oratoria, ac poetica facultate Viri præſtantiſſimi, & cum nihil in eis, quod Catholicæ fidei, boniſque moribus ſit contrarium, invenerim, uti proficuas ad omnes excitandos ad Virtutis amorem luci dignas demandari cenſeo.

Ego Orpheus Canonicus Goga dicti Sancti Tribunalis Reviſor.

IMPRIMATUR.

Fr. Jacobus Ferralli S. Theologiæ Magiſter & Vicarius Generalis Sancti Officii Peruſiæ &c.



I.

VINDEMIA

ECLOGA

DE B.V.M. NATIVITATE

PARTHENIDES Musæ paulò leviora canamus:
Non omnes tuba fæva juvat, grandefve cothorni.
Dum caput Autumnus, Pomonaque mitior effert,
Nos etiam agrefti carmen meditamur avena.
Quà fe Nazarei colles demittere clivis
Molliter incipiunt, largo quoa ubere lactat
Vitibus umbratos colles Vindemia pinguis,
Lectæ aderant candore pares ævoque puellæ,
Thamar, atque Ephrata, & Naame pulcherrima forma,
Ruth, Gabee, & nitido Mityle mundiffima cultu,
Prefcia fatorum Manto, & feftiva Ligella,
Cui caput auricomum patula circumtegit umbra
Caufia lata, licet rapidus defecerit æftus.
Jamque puellari ftrepit omnis murmure campus,
Ceu teneras cum Veris opes examine rauco
Cecropiæ populantur apes per rofcida prata.
Hæc amat aureolos decidere palmite foetus,
Hæc mavult gravidos rubicundo nectare botros,
Illa cupit toto pluvios haurire liquores
Gutture, jamque cava forbet libamina dextra,
Aut undante lacu dum corbibus egerit uvas
Purpureum capta laticem crepitante labello,
Aut, cum pendentes gaudet refupina racemos
Exprimere, & rorem ambrofiæ ftillantis hiulco
Ore bibit, turpat mufto mentumque genafque.
Quis referat lufus lepidos, rifufque jocofque

Quos

Quos agitant ? quales capta cum fortè Ligella
Flexipedes hederas vittis sarmentaque nectunt,
Vinclaque ridenti injiciunt (nam sepę professo
Carmine dulcisonæ vocis fraudaverat omnes)
Sanguineisque botris malas & tempora pingunt.
Hæc cania, Assyrios profligat ut una maniplos
Bellatrix vultu Judith, dextraque potenti
Exitiale caput somno vinoque sepultum
Amputat: ut reducem portis effusa juventus
Excipit, ac festo ferit aurea sidera plausu.
Tum canit Estheris laudes, quæ funeris atra
Eximitur lege, egregio tanta enitet ore
Grata verecundæ connexa modestia formæ.
Magnanimam Jahela refert, clavosque trabales
Infando capiti infixos: & quæ fuit illa
Cui stetit infidum Pharaonis curribus æquor?
Talia flexanima caneret dum voce Ligella,
Advenit Angelie vicini villica ruris,
Atque ait: o sociæ peperit nunc Anna puellam,
Anna puerperio fortunatissima magno:
Festinant aliæ; teritis vos otia lusu?
Accurrunt celeres, & rasilibus calathiscis
Dona ferunt, Ephrate cursu supereminec omnès,
Ephrata dives agri, pecorisque & lactis abundans,
Cana colostra ferens, & suave olentia mella,
Et quæ de patria erumpunt opobalsama virga.
Vimineis aliæ turgentia poma quasillis
Adproperant, quæ lecta putes Phæacibus hortis,
Aurea mala decem, totidemque Cydonia, nec vos
Punica prætereunt, & honos arit huic quoque pomo,
Prægrandesque ferunt lectis de Vitibus uvas.
At dum Virgineis sistunt munuscula cunis,
Exceptam blandis Mariam ter sustulit ulnis,
Oscula ter fixit Manto præsaga futuri
Fœta Deo mentem virgo, & sic nec loquuta est;

Pecto

Pecte comam Titan, radijsque prioribus almum
Redde diem, prodit tandem Pax aurea mundo:
Puriùs astra nitent, Dominę ancillata Puellę.
Aurea progenies Cœlo dum labitur alto,
Incipiunt iterum ex auro procedere menses.
Nec mare velivolum vastos ad sidera fluctus
Ampliùs impellit, sed lenibus æquora ventis
Pacata insternit, Matri famulata Tonantis
Augustæ, gestitque suo de nomine dictam.
Et vos illustres animæ, quas carcere cæco
Abdidit innocuas primævæ noxa Parentis,
Pellite pervigilea tristi de pectore curas:
Instant Vindicię, libertas appetit, ultro
Ferrea adhuc vetiti patefient ostia Cœli.
Tuque adeò tellus pigro possessa veterno
Hactenus, exhilara tetricæ mala nubila frontis;
Abscessit coluber, victum est lethale venenum.
Pande sinus molles, gemmato gramine florea
Indue læta novos, afflant melioribus auria
Perpetuo Zephyri mulcentea arva susurro.
Præcinuit Manto: reliquæ didicere puellæ
Carmina, vocales referunt ad sidera vallea.

NOMINUM INTERPRETATIO.

Themar	Commutatio	*Mityle*	per Apocopen a *Mity-* lene)
Ephrata	Vbertas		Torcularis abstersio
Naome	Pulcra	*Manta*	Pręsaga
Ruth	Inebriata	*Ligella*	a vocia suavitate
Gabè	Calix	*Angelis*	Nuncia

Friderici de Ubaldis (vulgò Baldeſchi) Columnæ

PURPURA

DUm purpuranti vellera murice
Infecta Tibris cerneret indui
Te Romuli ſtirpem Nepotum,
Præſidium columenque rerum,
Dixiſſe fama eſt: Eridanum licet
Donavit aſtris fabula; non tamen
Ignarus eſt Tibris futuri,
Nec penitus mihi clauſus axis.
Hinc fata, legi quæ folijs modò
Æternitatis ſcripta adamantinis
Proferre ſub dium juvabit:
Hue memori vacet orbis aure.
Audite vatem. Sæcula Numini
Dilecta magno, ſæcula priſtino
Ditanda, terris imminere
Haud procul intueor, metallo.
Tunc floſulentis hoſpita Fauſtitas
Evecta bigis per liquidum æthera
Terras reviſet reddituta
Splendidiore diem ſereno.
Tunc et benigno fundet ab ubere
Tellus maritis ebria foſſibus
Fruges inexhauſtàque meſſe
Larga Ceres populos beabit.
Quum Vaticanæ Sacra potentiæ
Geſtanda ſumes ſceptra, & amabili
Tenore legum temperabis
Arbitrer, o Friderice, Mundum.
Audi;

Audire forti jam videor manu
Conferta terris praelia barbaris:
Perstringit aures obstrepentis
Ismariae sonitus ruinae.
Jam jam mihi auctus sanguine Thracio
Concedet Hebrus, jam mihi Bosphorus:
Fascesque submittet superbos
Perditus Æmoniae tyrannus.
Regnis Eois proferet ultimum
Romana pubes auspice te diem:
Cœloque divisos Britannos
Reddere tu poteris Quiritum
Olim abdicatis legibus & sacris.
Te qui profundum Danubium bibit,
Te qui Tibiscum, te Sicamber,
Incola te Scythiae nivalis
Colet recurvo poplite cernuus:
Tu, quà jugales Phoebus agens diem
Effundit, agnosceris ingens
Compositi moderator orbis.

III.

Marcus Antonius Florentius In problemate Academico Venustatis Propugnator.

AN Formae decor, an valeat mage grata Venustas
Cordibus urendis, lis agitatur adhuc.
Te poscunt Charites: iaculari fulmina linguae
Incipe, proque domo dicere, Marce, tua.
Non poterant illae niti meliore patrono:

Gra-

Gratia multa labris, mulcens in ore Lepos.
Dixit, & eloquij propugnans vindice telo
Asseruit Charites in sua regna suas.
Sed contempta doler, nec se finit altera vinci,
Adque tuos vultus, æmula Forma fugit.
Incipit illa nives inter depromere flammas,
Et quò spreta magis, fulgurat illa magis.
Lis tua pendet adhuc: si Formam absolvere vultu
Marce, libet; linguà cur facis ipse ream?

IV.

Augustini Oldoini e S. I. Athenæum Augustum.

Quotquot Ethruscas colvere Musas,
Sive Romanæ comites Thaliæ
Barbiti tentant veteris latino
Pectine nervos,
Sive ab Augustis operosa rostris
Verba devolvunt habiles morari
Fluminum lapsus, ubi sedit ore
Suada diserto,
Quorquot emensi nec inauspicata
Legum inexhaustum pelagus carina,
Quotquot imbuti omnigena togatæ
Palladis arte,
Eloquens narras. Tibi multa debet
Inde Gryps noster, quòd amica Musis
Nomina æternâ juvat Oldoine
Condere cedro.
Sed tuæ restat seges æqua laudum
Dexteræ: fortes, sobolem Gradivi

Dic

Dic, age, Heroas: renuunt sileri
Martis alumni.
Audin' ut pulsant galea sepulcrum,
Nec tuas laudes patiuntur atro
Opprimi saxo? Generosa sistit
Se tibi Pubes.
Agminis longi seriem recense:
Terge lethæo vitiata tabo
Nomina, & nunquam peritura doctis
Insere chartis:
Te suæ dicat geminæ potentem
Vindicem famæ Perusinus Ales:
Duplicem laudis calamo coronam
Debeat uni.

V.

In parvis solet esse quies; sed pumila conjux
Est mihi, Fuscus ait, nec datur ulla quies.

VI.

IRENE ECLOGA

Paci jam jam adventanti Auctor proludebat

MDCIIIC.

TITYRUS, DAPHNIS.

QUÆ nova letitiæ vultum tibi causa serenat?
Dic age, Daphni: vetus te Tityrus orat amicus.

En fons frigidulus, vivoque sedilia musco
Rupe sub exesa invitant, dum Sirius ardet.
Monstravit - ne tibi, alludens latratibus, aprum
Excitum latebris, ingens tua cura Melampus?
D. Non aper excitus, non ingens cura Melampus
Contractam prius exhilarant mihi, Tityre, frontem.
Nobiliora mihi pertentant gaudia Pectus.
Parrhasium ad saltum nuper dum retia lustro,
Et vacuus redeo, sese offert Faustulus ultro,
Faustulus eximius Pastor, nec vanus Haruspex:
Et nisi fallor (ait) felix tibi nuncius adsum:
Mox aderit cunctis exoptatissima terris
Irene, flos Arcadiæ, ridentis ocellus
Naturæ, Irene lassi spes aurea mundi,
Irene reliquas inter pulcherrima Nymphas,
Quantum humiles inter præstat rosa culta genistas.
O superi faveant. Age Daphni, & florea serta
Lactentemque agnum Divorum defer ad aras.
T. Anne hoc illud erat, solers quod mane notabam
Mellisferas volucres non jam in contraria scindi
Castra, sed unanimes concordi examine pasci?
Illud erat, ramum gestans quod mitis olivæ
Candida aer plaudebat avis: nos vidimus ipsi?
D. Nempe hoc illud erat, quod formosissimus annus
Non hyemem sensit, non tristia nubila cœlum:
Plurimaque audita est numeris philomela canoris
Noctes atque dies longum producere carmen;
Nec poterant cantu certatim absistere., quamvis
Stridula clamaret, ver abscessisse, cicada.
T. An ne erat hoc, noctu quod nullus oberrat ovile
Jam lupus, & nullis trepidant ululatibus agnæ?
Atque inter - volitans lusu, sine cæde columbas
Præterit accipiter, mihi quod narrabat Amyntas?
D. Nempe erat hoc, juratus quod referebat Amilcon,
Ostia ad Alphei qui captat arundine pisces,

Alcy-

Alcyonen præter solitum fixisse marinis
In scopulis nidum; sed vix ego credulus illi;
Immites agitant tamen Alcedonia venti,
Et Zephyris pacata diu silet æquoris unda:
Tunc ego: Fatorum sunt hæc præsagia certè:
Irene redit, illa redit placidissima Virgo,
Vena boni simplex, Orbi nova gaudia portans.
Nec tibi castus amor animum, bone Tityre, tangit?
Nec desiderium cari capitis, nec amati
Nominis Irenes tibi, Tityre, pectora pulsat?
Ah dirum exilium, nostris quod longiùs oris
Distinet Irenem! Quæ vos dementia cepit
Pastores ovium vestris depellere tectis
Nympham, cui non ulla parem produxerit ætas?
T. Et me tangit amor, cœlestis, Daphni, Puellæ,
(Nam Cœlum patria est, tantùm sedet hospita terris)
Sæpius & supplex oneravi altaria votis,
Vt redeat tandem, sed vota dedi irrita ventis.
Scilicet illa ferox, odio succensa perenni,
Quæ malè possessis renuit decedere terris,
Hactenus Irenes reditum prohibebat Enyo.
Sanguineis maculis habet ora genasque rubentes;
Sanguineo incedit vindex armata flagello:
Et talem quis amet? magnis Pastoribus ista
Se tamen adjunxit blandam truculenter, & illis
Latiùs antiquæ sepis protendere fines
Pollicita, atque alijs amissa mapalia spondeos,
Jurgia sæva, feras cædes, odia aspera movit,
Lacte emulsit oves, exhausit sanguine venas:
En quò Pastores miseros discordia traxit.
D. Pastores ipsos nescis, ah Tityre, nescis
Viribus attritos subeant quæ tædia Enyûs.
Preterea (namque hæc addebat Faustulus idem)
Venit ad Irenen prope supplex Sequana, quamvis
Agglomeret capiti se plurima laurus, & infit;

Tanta ne te noſtri cepere oblivia, Virgo?
Naiades niveæ Rheni venere bicornis,
Alpinæ & Dryades, venit quoque Nais Iberi,
Et dixere ſimul: quò? quò te proripis alma
Irene? inviſam ſævire diutiùs hoſtem
Diva feres? Patris Oceani venit Panopea
Nereïdum comitante choro: ecquis erit modus, inquit,
Bellorum? ſaltem immanis miteſcat Enyo,
Fac, bona Diva, potes. Facietque, quis ambigat ultra?
Iam properat cita, ſed ſimulat ſuſpendere greſſum,
Et fugit ad latebras, & ſe cupit ante rogari:
Tityre nos quoque dicamus bona, Tityre, verba.
T. Carmine placantur Divorum numina, & Umbræ
Carmen amant, Nymphæque volunt ſe carmine dici.
D. Irene prognata Deo, ſincera voluptas,
Orbis amor, decus Arcadiæ, feſtina venito.
Florebit nemus omne, dabunt opobalſama quercus,
Lacte fluent rivi, manabunt nectare fontes.
T. Tartareis emiſſa antris, furialis Enyo,
Rerum pernicies, teterrima peſtis, abito.
Te baccante diu, viruit mage noxia taxus
Et latices felle infecti, fonteſque veneno.
D. Diva optata redi, lumen deprome ſerenum,
Nam ridebit ager, ridebunt paſqua tecum;
Soſpes erit Pietas; pulſis dabis ocia Muſis.
T. Dira cruenta fuge; & tecum mala tolle per auras,
Juſque datum ſceleri, cædes, incendia, letum,
Funera regnorum: proſcriptas redde Camœnas.
D. Diva redi: tibi ſolemnes ponentur ad aras
Maſcula thura, foci, & dilectæ termes olivæ.
T. Dira fuge: o noſtris properas ſi cedere terris,
Vellere nigranti mactabitur agna quotannis.
D. En redit Irene: calathis date lilia plenis.
T. Barbara Nympha fugit: Diris proſcribite in ævum.
Hæc procul Arcadia Thraſymeni ad litora luſit
Æpytus agreſti calamo. Deus annue votis. LU-

VII.

LUDOVICO MAGNO

Pacis Vota.

HActenus horriſono armorum quaſſata fragore
 Senſit Gallorum fulmina terra ſatis,
Senſit & Oceanus, ſenſerunt omnia, quantum
 Roboris & mentis ſit Lodoica tibi;
Fac tandem redeant optatæ fœdera pacis,
 Unaque tot palmis addat oliva decus:
Ut, cui jam ceſſit prope totus territus Orbis,
 Defeſſa incipiant cedare bella quoque.

VIII.

BASILIUM MAGNUM

Proſcripturo Valenti Cęſari
Nunquam atramentum reddit

Calamus.

TE quoque Caſtalijs ambit deſcribere faſtis
 Aonidum cœtus, meritoque extollere plauſu
Conatus, pia Penna, tuos, Ereboque frememte
Te circum geſtit feſtivo ludere cœtu:
Pegaſeas Helicon præ te jam negligit alas,
Præque tuis audet jam jam contemnere ſuccis.

 Belle-

Bellerophontæos quas excitat Aliger undas.
Musarum tu, Penna, decus; quæ candida turpes
Dum reouis proferre notas, felicibus ausis
Cæsareo vallum potes objectare furori.
Quæ melior Suada instituit? tibi tempora fandi
Tempora præstandi opportuna silentia rebus
Dictavit-ne sagax superûm Sapientia ab astris?
Quæ tacita eloquij virtus operosa silendo?
Quis subitus docuit non ignava otia torpor,
Voica consuleres nostris ut sedula rebus?
Quæ sanctæ renuere moræ? dum pectore condis
Divitias animosa tuas, gazasque repostas
Deprompsisse negas, in nostros largior usus.
Non tales ostentat opes Junonius ales,
Dum rotat in gyro, stellata volumina caudæ:
Nec tibi tam niveis canescere pectora plumis
Mæandri miratur olor, nec pulchrius unquam
Lacteolas pandit volucris Cythereia pennas.
At tibi quis liquor infusos divinitus? aut quæ
Bruma rigens laticem Calami constrinxit in alvo?
Non tua sepiolæ nigrantem creoa cruorem
Sobria potavit; saniem rubiginis atræ
Haud libasse reor, nulla ferrugine tinctam:
Illa Acherontæo sunt pocula digna tyranno.
Nec tibi prætulerim fragrantes nectaris haustus,
Hyblæosque favos, & Hymetti roscida mella.
Eja age, rumpe moras, quid cessas fama referre,
Illustris meritis quæ præmia justa laborum
Penna ferat toto astrorum plaudente theatro?
Scilicet egregiè defunctam munere pennam,
Haud operam levibus terrarum impendere curis,
At neque pulvereis olim succumbere fatis
Decretum est Superis: tenues volat illa per auras,
Conscenditque axem: flammasque imitante pyropo
Pluma simul Calamusque novos mutatur in ignes.

Exu-

Exuvijsque procul positis augustior, ingens
Stella Poli transcribitur immortalibus astris.
Et jam decessura loco, se se ordine longo
Sidera constipant: sociam sibi jungere sperant
Singula: sed tantos frustra expectatis honores,
Penningeri astrorum proceres, tu clarus Amyclis
Cycne, & inocciduum cui formant sidera nidum
Phœnix, tuque Pavo, & Princeps stellata volucrum,
Tuque oleâ insignis pacisque sequestra Columba.
Tu quoque quæ pennis semper fugientibus udam
Spernis humum, opposito nuper deprensa sub axe,
Cœlica avis, meritò stellis superaddita civis,
Tam nitidâ frustra optasti ditescere Penna.
Qua parte obliquum præceps declinat in Austrum
Signifer, Autumnus pariles qua dividit horas
Virgineum rutilat radijs majoribus astrum:
Hinc libræ insistit, sed mitiùs inde Leonem
Flammivomum positа rabie mitescere cogit;
Erigonem prisci, Astream dixere recentes.
Hæc spicas pertæsa suas, deponit aristas,
Et Calamum stringens insueto sidere vestit.
At vos, qui numerum stellarum & nomina nostis,
Jam sidus numerate novum: nec segniùs inter
Sidereas formas pingatur Penna Valentis.

I X.

JOCUS.

AUriculas asini stolidus Rex induit olim
Injusti Phœbo vindice judicij.
Si hoc fieret, quoties sententia fertur iniqua,
Non unus iudex cresceret auriculis.

X.

HANNIBALEM ALBANUM

Nunc S. R. E. Purpuratum
Urbinum Patria alloquitur.

I Celer; expectant Patrui veſtigia Magni,
Virtutiſque comes Gloria ſponte ſequax.
Æmula Roma dabit falces Tyriumque galerum,
Quæque ſinant patriæ vix meminiſſe tuæ;
Nos tantùm cunas, & circum tempora lauros,
Quas Aſtrea redux nectit & æqua Themis.
At, cum ſancta dabis populis oracula legum,
Vix poteris patriæ non meminiſſe tuæ.

X I.

Ad Eundem.

O Spes altera Septicollis Urbis,
O ſpes, HANNIBAL, Orbis univerſi,
Tanto dignus es Hercules Atlante,
Tali eſt Hercule dignus Orbis Atlas.

X I I.

Ad Eundem.

MActe nova virtute, æquare domeſtica facta
Incipe, Romulei Patris & orſa ſequi:
Tempus erit, cum parta quies dabit ocia rebus,
Italiæ turbis te auſpice compoſitis,

Et

Et belli æratos postes, Pax reddita tanto
Auctore, æterna claudet ubique sera,
Musarumque fores, nullo prohibente patebunt,
Et fora non jam atris litibus implicita;
Albanumque Patrem, venerandaque limina Romæ
Pronus adorabit Vandalus atque Scytha,
Antipodesque, & quos tellus Antarctica celat,
Totaque pene latens ora Magellanica:
Religio tunc in terris dominabitur una,
Vnum tunc unus Pastor ovile reget.

XIII.

VALENTIS CÆSARIS ARIANI
Filius morti proximus
D. BASILIO *Deum precante*
convalescit.

Immatura tuo, CÆSAR, jam fila sorores
Rumpebant nato, nec dabat ullus opem.
Advenit Antistes; properantia stamina differt.
Atropos; abscedunt funera pulsa procul.
Restituit natum ille tibi; tu perdite Natum
Æterno dubitas restituisse Patri?

XIV.

Idem Filius.

paullo post baptismo intinctus per Arianos
a Valente super-inductos, exstinguitur.

Quò te proripis impetu citato?
Festinos, libitina, siste gressus,

A patre huc revocata parricida:
In prædam tibi cedat est necesse
Qui post antidotum bibit venenum.

X V.

Ad V. Cl.

D. PETRUM ABB. CANNETUM

CAMALDULENSEM

De re literaria optimè meritum.

INtacta lethes transilict vada,
Certus nec imo se pede polluì,
Quemcunque jussisti beatum
Præpetibus volitare pennis,
Obliviosi nempe silentij,
Juratus hostis. Fama curulibus
Subvecta bigis mancipasse
Arbitrium popularis auræ
Fertur merenti, nec nisi te duce
Donare lectam laudis adoream;
Materque Musarum, vetusta
Mnemosyne, tibi detulisse
Ignara nigri balsama funeris,
Cannete, ut olim tradita posteris
Parcarum ab ungue vindicata
Nomina proveheres in ævum.
Narratur ipsa & Gloria fœnebres
Locasse pennas, & Libani cedrus
Aptasse scribenti tabellas
Castalidum famulante dextra; Et

Et pulchra Divûm progenies Honor,
Dum literato pulvere fordidus
Delubra Virtutis fubirea,
Finitimo exiliens Sacello
Dixiffe : Noftris tu penetralibus
Pofthac Sacerdos pervigil affide,
Sortefque Cortina repoftas
Euboica melior Sibylla
Potes fecundo promere Apolline,
Cuicunque pandi limina jufferis :
Æternitati confecratus
Efto, cui decus arrogabis.

X V I.

Jesu Amor.

QUis te non amet, ò Jefu cariffime ? quis te,
Non amet, o mea fpes unica, folus amor?
Jam me ceperunt aliorum tædia amorum,
Quos lapfura brevi terrea forma parit.
Cœli delicium, cordis fyncera voluptas,
Me mihi furripuit non periturus amor.
Nulla inibi latitat labes, fimulatio nulla:
Nec noftra excruciat pectora, nec fatiat.

X V I I.

Ad Zoilum.

BIle tumes, ftultis tantùm tua fcripta placere
Quòd dixi : uni fcis illa placere tibi.

Bona-

XVII.

Bonarelli Cælia.

DIsceptatur adhuc, & adhuc sub judice lis est,
  Cælia num pariter possit amare duos.
De mare lis si esset, fieri non posse putarem;
  Cælia sed mulier dicitur, ergo potest.

XVIII.

NICOLAUS ABBAS SPINULA S.R.E. CARD.

De Natalitia Christi nocte Perusiæ luculentam habet orationem.

NObilium flos lecte virûm., cui Gloria servit,
  Quem colit & Fastus, diligit Invidia,
Illita flexanimo nuper quæ nectare sensa
  Attonita aure, ceu pendulus ore, bibi!
Quis nitor in verbis, spirans sententia mentem,
  Vox graviter suavis, vel manus ipsa loquax!
Nestora credideram: facundia Nestoris & mens
  Una erat; ast longè Nestoris ante dies.
Exoriente Deo, quid fertur pinguis olivi
  Erupisse latex? melleus ille fuit.

Æva

XX.

Æva Annæ S. D.

ÆVA parens hominum tibi nunciat, Anna, salutem:
  Felici, ærumnis obruta, scribit anus.
Nuncio dumtaxat, nullam tibi mitto salutem:
  Hæc tribui, sola te mihi dante, potest.
Me quoque felicem dixere exordia rerum
  Dum flaret velis aura secunda meis.
Sed celer aufugit vix dum libata voluptas:
  Cura, pavor, luctus, mortis imago subit.
O utinam tunc, cum coluber mala gramina pastus,
  Pendulus invisa ex arbore verba dabat,
Aut mihi sensus hebes bibula nimis aure fuisset,
  Aut nimium præceps dextera, tarda magis.
Non ego vidissem flammis accensa Tonantis
  Ora, nec humanum fata manere genus.
Nec mihi posteritas pomo viciata rebelli
  Diceret: Æva parens, publica pernicies.
Credidimus blandis, quorum ingens copia, verbis;
  Nulla fuit verbis blanditiisque fides.
Sum decepta nova mulier male credula fraude:
  Ah sexus cupida credulitate nocens!
Numinis ira calet læsi, regnoque domoque
  Pellimur, ejectos terra operosa manet.
Anxiferi demum perfuncti casibus ævi
  Cogimur insuetum currere mortis iter.
Clausa specu teneor gravibusque coercita vinclis,
  Nec levis est carcer, sed mage noxa gravis.
Nunc tandem metus abscessit, silvere querelæ:
  In tenebris cœpit pulchra nitere dies.
Nuper ab Empyreo delapsus Nuncius ales
  Omina portavit læta, volente Deo.

At-

Atque ait : implacidæ potent oblivia curæ:
    Candida libertas apperit : Anna parit.
Anna parit ? lectas animas nova gaudia tentant,
    Pellitur & risu nobiliore dolor.
Alma parens, Ævæ quàm præstas, Anna, parenti!
    Par sexus non est condicione pari.
Ipsa venenatis amens dum captor ab angue
    Illecebris, tantùm toxica sæva tuli
Tu divam profers, quæ livida colla colubri
    Calcabit stygij letiferumque caput.
Ipsa propinavi funestum virus amanti,
    Noxia fatali ex arbore poma legens;
Se tibi debebit fructus vitalis origo,
    Ex te nam felix surculus ille venit.
Infelix leto damnavi meque meosque,
    Prodita posteritas occidit ante diem;
Tu spes prima soli, melioris vena salutis
    Diceris, & tanta prole beata parens:
Nec Mariæ tantùm, nova sed mortalibus ægris
    Diceris esse parens; ipsa noverca fui.
Te pariente, vetus rerum jam vertitur ordo,
    Inque novas redeunt sæcula prisca vices.
Et bene, quæ fuerint, memini, cunabula mundi
    Primo fusa auro, sed meminisse pudet:
Cum teneras fruges tellus inarata ferebat,
    Turgidus & lactis nectare rivus erat,
Sponteque manabant præduris balsama truncis,
    Et querceus rigido cortice mella dabant.
Jam sicut senij pertæsus, pulchrior anguis
    Ætatis ponit, vere tepente situm;
Sic positis nitet exuvijs, vegetusque juventa,
    Per te orbis cultus induit ecce novos.
Te pariente, redux fluit ubere gratia rivo,
    Puraque ab Empyrei gaudia fonte pluunt.
Grata serenati ridet clementia cœli:
    Otia pacato Numine mundus agit.

O nitidi soles ! o purior ætheris haustus !
O fortunatam te pariente diem !
Scribere plura velim, impediunt sed vincula palmas:
Hæc quoque fracta eadem munere, Diva, tuo.

XXI.

HOMERUS, ET HANNIBAL

M. Ant: Bonciar: et Asc: Corneus Marchio

Luminibus captum Græci mirantur Homerum,
Africa desoculum prædicat Hannibalem.
Te quoque doctrina belloque, Perusia, tolluot.
Marcus utroque careos, uno oculo Ascanius.

XXII.

Omnia vincit Amor: pariter domat omnia Tempus;
Sed tandem domitus tempore cedit Amor.

XXIII.

Ingratos animos insectatur.

Si quem litibus anxijs
Extrices miseram, implicitum male,
Aut si commodus aoream
Donaris pateram, & vasa Corinthia;
Non, quid quid bene feceris,
Lucratus fueris vel memorem virum
Vel saltem beoe prodigum
Verborum: potiùs tergora vertere
Ingratum videas, parem
Cervo præcipiti per nemora invia,

Cum

Cum fortè acta Cydonio
    Arcu tela volant ponè sequacis.
Cœli sedibus indita
    Insignita recèns dotibus inclytis
Princeps Angelici agminis
    Prædilecta cohors, Lucifero duce
Bellum perfida Numini
    Infert, suave jugum non docilis pati!
Dives muneribus Dei
    Præceps in vetitum primus homo ruit.
Christum pessimus omnium
    Implacabilibus vendidit hostibus
Quò sit munere ditior
    Tantò deteriùs quisque recalcitrat.
Nemo est scilicet omnium,
    Qui non se meritum maxima judicet,
Deberique sibi haud putet
    Longè plura, bonus quàm tulerit dator.
Est qui præterea jugum
    Credat muneribus impositum sibi,
Et se se miser autumet
    Emptum ludibrio mancipium trahi,
Certus vendere nemini
    Quæ natura parens jura dedit sui.
Largitoris opem & manum
    Vix lato auxilio protinus odimus;
Hæc merces operæ: id magis,
    Quàm nos, posse alium displicet invidis,
Hæc est digna superbia
    Quovis supplicio, dignaque culleo,
Ultra ne vigeat memor
    In cunis teneram elidere gratiam.
O leges Macedûm optimæ,
    Quæ vos postera fæx turpiter abrogat!

ÆGLE

XXIIII.

ÆGLE

Seu Germinæ abſentis deſideria

ECLOGA.

In gratiam Alpheſibœi Carij ſcripta.

Germinam procul a patriis dum finibus errat,
Germinam querulis iterant in margine votis
Leucothoe, Cyane, atque Hyale, & nitidiſſima Chloris,
Et quotquot vitreo Nymphas alit amne Moſella.
Præcipuè dolet abſentem magis omnibus una,
Incuſatque moras Ægle pulcherrima Nais,
Incuſatque deos, minimùm quod fœdera curent
Promiſſi reditus, jurati fœdera amoris.
Sæpius illa caput fundo deprompſit ab imo
Flaventes impexa comas, reducesque putavit
Germinæ greſſus, Zephyris mutantibus alnos:
Sæpius ambiguo diſcurrens anxia paſſu
Prata per et collas, per opaci devia ſaltus,
Scitatur Dryadas, ſcitatur Oreadas: an-ne
Cras Germina redit? ventorum conſulit auras;
Scitantem venti ludunt, exſibilat aura.
Somnia dum fingit, ſæpe obvia brachia pandit;
Nil amplexatur præter ſua ſomnia, & Æglen.
At non illa potens ultra perferre dolorem,
Hæc patriis undis queſtu jactabat anhelo:
Jam, Germina, ſatis doctas exculta per artes,
Seu, maris Adriaci ſurgit quà regia moles,
Nereidum famulante choro geſtaris in ulnis,

Seu

Seu Padus uberibus latè quà regnat in arvis
Heliadum choreas ductare tibi dedit uni,
Seu magis arrident Tibridis, seu Najades Arni,
Sive tuo exemplo Siren Campana docetur
Blandiùs innocuas aptare in carmina voces,
Jam Germina satis Nipharum maxima passim
Diceris & forma & sociali lege pudoris,
Penelope simul atque Helene; sat laudis opimas
Exuvias referes per pulpita docta Minervæ,
Jam satis Aoniæ serpunt per tempora lauri.
Verùm si tanti patriæ sua gloria constat,
Et desiderio tabescere cogimur, umbra
Gloriolæ valeat; Pallas, quas prodidit arces,
Ipsa colat; sua serta habeat sibi laurea Phœbus.
Dulcis amor famæ, laudumque decora cupido;
Dulcis amor patriæ, jucundaque cura penarum.
Dulcior an patria est? an laudum justa cupido?
Fama quidem dulcis; potior sed parria laude.
Attica Palladijs resonent licèt usque lycea
Laudibus; at patriæ Tritanidis arua paludis
Pallas amat. Plaudant quamvis in vertice Pindi
Pierides Phœbo, quamvis per compita cœli
Purpureos agitans currus illuminet orbem;
Non piger ille tamen maternam invisere Delon.
Vnam te patrij tædet, Germina, Mosellæ,
Naiadum piget, & quondam haud inamabilis Ægles;
Hic quoque virtuti stant debita præmia laudum:
Sufficient tibi non impar celebrata Theatrum
Ardua murorum pinnis latè oppida centum:
Ipsæ etiam laurus auritæ, & consita circum
Scena virens gestit Germinam audire loquentem.
At nisi maturas gressum, si gaudia differs,
Vos etiam lauri, quoque vos plorabitis auræ,
Colles attoniti, & desolatæ convalles.
Æglen ulteriùs lacrymantem, & plura parantem

Dicere

Diecre defecit vox interclusa, cadensque
Liquitur in fontem paulatim Nympha perennem:
Nevo sibi placeant adeò Plutonia regna,
Fons geminus lacrymis manat; Cocytus, & Ægle.

X X V.

Inexpectata Italiæ Pax ac vix credita Perusiæ nunciatur,

DUM BENEDICTUS CAPRA

V. I. D. ACADEMICAM

Apud Insensatos dissertationem haberet X. Cal Sextiles MDCLXXXXVI.

Credite. Pacati ridet clementia cœli,
Irarumque æstus detumuere truces.
Credite. Inalpinas urbes Pax alma revisit,
Et Jani æratas obserat illa fores.
Stat decus armorum: Stant & focialia pacta
Integra: Stant Domino reddita jura suo.
Credite. Jam remeant Pietas, Concordia, Musæ:
Bellonæ rabies ferrea sola fugit.
Cernimus eloquio Benedicti sæcla redire
Aurea; ferrea non credimus ire procul?

X X V I.

(sunt?

Cæcus, inermis Amor. Pharetra, arcus, lumina ubi
Nos facimus lyncem, nos facui arma damus.

 Chri-

XXVII.

Chriſtiani belli deteſtatio, Arcadici otij laus 1695. apud Arcades Romæ.

DEvota Marti ſæcula vivimus:
Janum obſerari nec patimur truces:
Cauſaſque bellorum repoſtas
Quærimus irrequieta proles:
Cruenta proles pejor Avis, jocum
Cognata ſævi funera ducimus,
Fraterna jactamus trophæa:
Et ſocium ſpoliare laus eſt.
O Sancta Pacis otia, quæ malæ
Diræ atque Enyo vos abigunt procul?
Quis vos redonabit Quiritum
Sedibus Auſonioque cœlo?
Hic in reducto colle Palatij,
Beata cuſtos Pan ubi ſedulus
Dat ſæcla Saturni, Serenâ
Alma Quies ſpatiatur aurâ
Dum paſcuis perfuncta bidentium,
Circumque tonſo gramine conſidens
Secura Paſtorum caterva
Non patitur calamos inertes.
Cantatur illi (1) luſcinæ melos,
(2) Rivuſque Nymphas lambere geſtiens,
(3) Apeſque abactæ, & (4) Compitales
Lætitia ſtimulante ludi:
Decuſſa letho grandia (5) lilia
Hic narrat, aut ille in mala plurima
(6) Aurum reſoſſum, vel repertam
(7) Larvam alius, juvenumque (8) curas
Mixtus Camœnis cætus Oreadum

Ducit

Ducit choræas, & Platanus loci
Reclinat auditura ramos,
Lympha loquax cohibet susurros.

(1) Ethruscum epigramma de Luscinia	*Comitis Bussij*
(2) Elegia de Rivo	*Thomassetti*
(3) Ludicria furti Actio	*Leonij & Zappij*
(4) Pastoritij ludi Maio ineunte	*Magnani*
(5) Epicedia Ducis Parm. & Aloysij de la Cerda	*Guidij*
(6) Ode in Annum	*Soræ Ducis*
(7) De Larvis fabella	*Crescimbenij*
(8) Elegiæ amatoriæ	*Emmanuelis Hispani & aliorū*

XXVIII.

Egressus foras Petrus flevit amarè Lucæ 12.

Jonici a minore Sapphici Acatalectici ad instar *Miserarum est &c.* Hor.l.3.od.12.

LAcrymarum date rivos mea lumina, tepenti dolor unda elue labem,
Nece dura morituro duce nostro atque magistro.
Cruciatus vehementer ferus anxi
Tibi, Jesu, quem ego novisse negavi;
Tamen ecquis magè norat benefactis & amore?
Ego verbis leo pridem bene fortis;
Muliebres ubi technæ stimularunt,
Statione illico cessi pede cervos imitatus.
Mihi tantam fubijsse impietatem,
Ut amoris fideique immemor (eheu!)
Bis & ultra haud dubitarim inficias ire protervus?

Dolor angit, pudor arcet, fugientem
Hominesque atque magistrum. Latitare
Cupientem cava tellus latebræque excipere horrent.
O Jesu mi, amor orbis, bone Jesu,
Veniam qua ratione auferet abs te
Petrus audax, miser effrons, transfuga mendax?

XXVIIII.

AD V. CL. ANTONIUM MALLEABECHI

SEREN. COSMO III.

M. ETHRURIÆ D.

Ab Regia Bibliotheca.

VIr bone, vir Sapiens, Sacrum Augustale Minervæ,
Atque ampla omnigenæ Regia Mnemosynes,
Ætati nostræ divinitus edite Varro,
Hellados, Ausoniæ, Malleabeche, decus,
Te colit Ethruscus, Germanus consulit unum,
Unum mirantur Sequana, Scaldis, Iber
Mentis inexhaustę tantas depromere gazas,
Eruere e latebris tot monumenta Virûm:
Vulnera librorum sanare; explere lacunas:
Unus qui præstet talia, nullus erit.
Vel si depereat scriptorum tota supellex;
Qui reddas fidus singula, solus eris.

XXX.

NEscit Amor leges; sed me odit Bartolus alter,
Et sine lege odit: sic sine lege odium est.

Tri-

XXXI.

TRina placent natorum, ortus, doctrina, nepotes:
Bisque placet conjux, in thalamo, in tumulo.

XXXII.

MAgnanimi proceres, atque arma togæque vetustâ
Commendant vestrum nobilitate genus.
Est aliud majus, quò sedula vota nepotum
Colliment; ibi quod summum imitentur, habent.
Nempe sacri Vatis, rutilant cui murice vestes,
Clarior est ceris omnibus effigies,
Doctrinâ eximia, sanctis et moribus ingens,
Cui vix obtulerint sæcula prisca parem.
Hoc igitur decus est vestrum: sunt cætera fumus,
Illitus annosis fumus imaginibus.

XXXIII.

ADmitto Vacuum, Sophiæ novus assecla dixit;
Non tamen in patinis, non tamen in cyathis.

XXXIIII.

SErviles Italorum animæ! quæ tristis Erynnis
Vos agitat? Furor est in partes semper abire,
Mancipiumque sui offerre aspernantibus ultro,
Et jactare palam patriæ fastidia terræ.
Infelix regio, rerumque oblita tuarum
Et prisci decoris; felicia cuncta precare
Hostibus ipsa tuis; raptabere & ipsa, triumphi
Sarcina, captivis lugenda nepotibus olim.
Quid tibi largitur Gallus, vel præstat Iberus?
Quid tibi Germani, Batavi quæ commoda præbent,

Et Batavis nexi sociali lege Britanni?
Non illi se optant tibi conciliare, tuarum
Nec satagunt rerum; sibi sed compendia captant:
Nonne omnes, pensare voles si lancibus æquis,
Infensis te animis oculisque tuentur iniquis,
Aut ludos faciunt miseram te; aut fortiter acta
Vel doctè, livore premunt; aut turpia palmis
Vincla tuis cudunt jam nunc pedibusque catenas?
Heu studia & partes, lævoque obnoxia fato
Dissidia Italidùm longam tractura ruinam,
Ut quondam scissis studia in contraria Guelphis
Ab Guibellinis, undabant sanguine campi,
Et grassante diu per mutua vulnera ferro
Laré squalebant viduatæ civibus urbes!
Scilicet id superest, ut mox addicta Gelonis,
Aut Byzantino faveas devota tyranno.
Surge, age, teque tibi assere: nulli dedita parti
Libera colla jugo parcas immittere sponte:
Et quæ jura dabas, pudeat ludibria tanti
Mercari, atque hostes in viscera nostra vocare.

XXXV.

Per terræ angustas rimas penetratur in Orcum;
Per latos campos aeris, astra patent.
Attamen arcta via est, quæ nos ad sidera ducit;
Lata via est, quæ nos ducit ad interitum.

XXXVI.

Subde faces Veneri; pro quantùm incendia crescent!
Asser aquam lacrymarum; acrior ignis erit.

In-

XXXVII.

Insensatorum olim Principis Filio,
Et ipsi aliquando Principi,
Nunc Principis Parenti,
COMITI FRANCISCO DE ODDIS,
Cum vernacula Perusinorum carmina
edenda curaret.

ET bene: tecta diu qui præbes hospita Musis
 (Martis ab exuvijs inclyta tecta satis)
Eruta de latebris Nostratum carmina cogis,
 Talem Assertorem nacta, videre diem.
Scilicet Ethrusci vivent te vindice vates,
 Et facient cineri te superesse tuo.
Ausoniæ pariter, neglecta caterva, Camœnæ
 Ad te confugiunt, vindiciasque rogant.
Altera fama manet: lethæi crimina fati
 Tota abole: Latio stent sua jura, jube.
Nec certè *nostras* inter volitare *Volucres*,
 Urbanæ quondam vos renuistis *Apes*.
Perfice jam cœptum, non uni largior Arno:
 Ardebit justà Tibris ab invidia.
Æmulus æternum memori tibi concinet unda:
 Par meritum: facti gratia major erit.

XXXVIII.

Vienna Servata 1683.

Paulo post B. V. Natalitia.

EPINICIUM.

HUc ades, inflatis Clio, quæ Martia buccis
Arma virosque canis: te poscit nata recenter
Christiadûm Pallas, vero prognata Tonante.
Quà prope Danubium famâ celebrata Viennæ
Mænia consurgunt, riguis & saxea lymphis
Terga lavant, latè rigidis horrentia pinnis,
Ingens Imperij vallum columenque latini,
Austriadùm sedes Regum, Pietatis Asylum,
Cœlituum eura, haud ullis obnoxia fatis,
Non semel elusi Turcarum Martis arena;
Cædibus indomiti Thracesque, Scythæque, Gelonique
Approperant, immanè animis numeroque tumentes,
Millia quot nunquam ad Trojam venere Mycenis.
Nec mora: succedunt facta restudine muris,
In vetirumque ruunt: nituntur ferrea passim
Claustra remoliri · pars explorare latentes
Terrarum fibras, & cæco sulphure flammas
Per tacitum proserpere iter docet; excita tellus
Fundamenta quatit, tum propugnacula nutant:
Pars volueres jaculara ignes, incendia trudit:
Pars tereti excludunt terrenum fulmen ab ære,
Mœniaque & turres ferrata grandine pulsant.
Iamque nimis longo virtus defessa labore
Agminis inclusi languet, rimisque fatiscunt
Dividuis arces per saxa avulsa, minæque

Mu-

Murorum pendent ingentes arjete crebro.
Tandem ubi glifcenti gravis eft mora vifa periclo,
Incubuitque malum violentius; ire per aras
Tum pavidæ matres, pueri, innuptæque puellæ
Pofcere vindictam, cœloque extendere palmas.
Religio interea, cui funt cœleftia curæ,
Ad folium æterni provolvitur ægra Tonantis,
Laxatoque finû pallæ, argumenta doloris
Numinis ante pedes fundit: collegerat illuc
Et vota, & lacrymas, & corda liquata piorum.
Parce, ait, o Pater, & præcibus fi flecteris ullis,
Thracum turpe jugum procul a cervicibus arce.
An-ne profanatis graffabitur impia terris
Peftis adhuc, miferis infultans, vindice nullo?
Heu quantùm tumet obfeffi de cladibus orbis!
Quàm furit immitis, crefcens per damna tuorum!
Nufquam limes erit? pateris fi claustra revelli
Auftriadûm, jam pulfa omni conceſſerit orbe
Religio, cultufque tuis procul exulet aris.
At Pater omnipotens contractæ nubila frontis
Difjiciens, facili paffus mitefcere rifu,
Ifta refert: Non ulteriùs bacchabitur hoftis:
Jam pœnas dabit ille furens, jam debita fatis
Supplicia ex aftris Ultrix delapfa repofcet.
Illa meas geret una vices, amor una Tonantis,
Vix uno me Patre minor. Senteotia menti
Jam fedet hanc velùti pertendere nubibus Arcum
Bellacem, quo Turca ferox cadat hoftia Cœlo.
Vos ite, Aligeri, atque diem majore fereno
Promite. Finiêrat Numen: jam Lucifer axe
Clarior Eon furgebat: pallida multùm,
Mox folito rubicunda magis. Tithonia conjux
Sanguineis iofecta notis præfagia lunæ
Objicit occiduæ, inftantis præludia cladis.
Quis fragor erumpens lævâ, fcidit æthera vaftum,

Fui-

Fulminis in morem ? video procul ægidis auro,
Et galeæ dirùm minitantis fulgure, circum
Aera percussum crebris splendescere flammis.
En Sacra Pallas adest, nimbo fulgente per auras
Cincta volat, longoque trahit cum syrmate lucem.
Cœlica Pallas adest: bona dicite verba, sodales.
At qualis micat ? haud stellis redimita minutis;
Haud blandè alludit membris constricta tenellis;
Sed quatit arma ferox, jam jam domat illa Gygantes,
Torva rebellanti proculcans cornua lunæ.
Quis cladem illius pugnæ, quis parta trophæa
Explicet, aut possit dictis æquare triumphos?
Fulmineam validis nunc torquet viribus hastam,
Quæ secum flammas affert, & plurima secum
Funera, Threïcias latè intrans horrida venas.
Nunc vultu contenta suo non utitur hasta;
Nam satis est vidisse semel: jam torpor inertes
Sauciat, infixus membris, sine vulnere Thracas.
Quò volat illa, cito sequitur Victoria gressu.
Sarmaticum Regem, quo non est fortior alter,
Per medias rapit illa neces, dextraque potenti
Adstat, & incertos jaculantem dirigit ictus:
Illa per obstantes cuneos te, Carole, claris
Major Avis, flos Heroum lectissime, ducit
Fortibus illa viris animos viresque ministrat.
Altiùs haud unquam toto descendimus ense
In jugulum Scythiæ: ultoris seges undique ferri
Circumfusa micat: mors undique & undique Virgo.
Jamque cadaveribus cumulata cadavera passim
Sanguineo undabant tabo: nunc Aliger unus
Lapsus ab astrifero tanta ad spectacula Cœlo,
Sanguine Threïcio aggestos inscripsit acervos:
Hic Asiæ pars magna jacet, duce Virgine, cæsa:
Discite vesanæ Mariam non temnere gentes.

Ut

UT nulli noceas, Columba fias,
Ut nemo tibi, fis, Marine, ferpens.

Bauhufius Belga S. J. l. 2. pag. 32.

Ut nulli nocuiffe velis, imitare Columbam;
Serpentem, ut poffit nemo nocere tibi.

Jo. Ovvenius Anglus l. 3. ep. 195.

FUratus alter alteri;
Uter fed utri? hic hæreo
Poeta uterque dicitur,
Fur ergo uterque callidus:
Sed moribus diffentiunt,
Illum Columbam dixeris,
Vafrumque Serpentem alterum:
Hinc furpuiffe fufpicor
Ovvenium Bauhufio.

XXXX.

FRIDERICUS TRENTA

S.J. de morte feriò pro concione dicebat.

INfidias cave difpofitas: Mors retia tendit,
Nec vitare ulli retia poffe datur.
Tu vigila, nec te prendi patiaris inertem,
Nullus enim Mortis lumina fomnus habet.

Nulla

Nulla recidenti seges immatura ; vitentes
Illa vel immiti demetit ungue rosas.
Sic , Friderice , tonas divino percitus œstro ;
Ista sed eloquio nobiliore tonas.
Auribus accipio , exhorresco ; sed utilis horror ,
Dum video lethes jam propioris aquas.
Dumque mori timeo, mortem dedisco timere :
Dandaque mox Morti victima , disco mori.
Stamen fata secent : iterum , Faber optime , vitæ
Tu potes æternæ nectere fila meæ.

X L I.

De novem D. ANNÆ Gaudijs PETRONILLÆ PAULINÆ de Maximis.

DEvota corda Numini
Cœlestis igne Spiritus
Incendis o doctissima
Paulina , nostri temporis
Poetriarum maxima ,
Heroidum clarissima ;
Dum Gaudio novemplici
Textam corollam vertici
Aptas Anus Sanctissimæ ,
Cui se Nepotem nuncupat
Puræ Parentis Filius :
Beasque mentes omnium ,
Quicumque sensa hæc hauriunt
Afflata Sancto Pneumate
Et irrigata nectare
Suavis eloquentiæ.
Annam Parentem Virginis
Interpretantur Gratiam ;
Ecce Anna tota Gratia est.

SE-

XLII.

SERENISSIMO AUSTRIÆ ARCHIDUCI

LEOPOLDI I.

CÆS. AUG. F.

GENETHLIACON.

QUanto beati limina Cæsaris
Sonare plausu fausta precantium
Audita sint, Divæ potentes
Castalij laticis referte:
Namque affuistis, cum Puer, inclyta
Spes Austriani Sanguinis, editus
In lucem, & Infantis querelas
Ad cytharæ modulos eburnæ
Vos temperastis: lætitia & Jocus
Unà adstiterunt, Risus & integer,
Et Gratiarum grex decentum,
Et Venus alma, & amica Pallas;
Non jam rigenti Gorgone fulgurans
Pallas, benigno sedula munere
Sed obstetricis functa, tales
Dicitur ore sonos dedisse:
Ite administræ, qualis apum phalanx
Per prata, campoſque, & violaria,
Per culta Pæstani vireta
Ruris, opes populare Floræ.
Blandam Puelli nunc, Charites, decet
Ornare frontem floribus, & super
Cunis ligustrorum reclinem
Delicijs redimire Veris.

Dum

Dum vagientes rore rigat genas,
Ite, & virentem collis Hymettij
Afferte gazam, flnrulentas
Nectite nunc Puero corollas.
At vestra lauri dextera silvulæ
Parcat comanti: non humilis meas
Dumtaxat expectas secures
Temporibus religanda adultis,
Cum frena fractis inducet hostibus
Qui nunc tenella fulgurat indole,
Palmasque jam nunc & triumphos
De tenero meditatur ungui.
O Austriaci gloria nominis
Puelle salve: te tibi Carpathus
Cervice deflexus nivali
Pronus in obsequium recurvat.
Jam nunc avitis Romulidûm sacris
Parere conceors vindice te parat
Dravusque, Savusque, & Tibiscus,
Et famulâ vagus Ister undâ.
Pro! quantus acri præsuris impetu
Adhuc tenellus! quantus in ardui
Fortes Gradivi surgis iras!
Quantus in Æmmnie ruinam!
Fomabit ensis sanguine barbaro,
Utcunque Thracum viscera combibet,
Et cornua in cassum minantis
Disjiciet lacerata Lunæ,
Tune Othrys admirabitur insolens
Valles adauctas mole cadaverum:
Tunc Hebrus Ægæo parenti
Sanguineum regeret tributum:
Tunc, quam Tyrannus accola Bosphori
Male occuparat servitio premit,
Afferta Idume decolores
Adstituet tibi læta palmas,

Puellæ salve gesta per inclyta
Auctura fastos : purpura te nitens
Ter quina majorum , futurum
Imperij columen , salutat.
Cognata Cœlo , dux operum decens
Tibi antecedet pervetus , ultimo
Abusque majestas Rudolpho
Per proavos atavosque ducta ,
Nexoque amabunt fœdere tum latus
Stipare , Divûm concolor Æquitas,
Roburque non parcum laboris,
Et Pietas, & Amor, Fidesque,
Et providentis vis Sapientiæ
Nec consilî expers , quam Neoburgicus
Potenter Augusto verendus
Insinuabit avus Nepoti.
Sed ponè gressus agglomeret , tui
Semper sequaces , mitior aspici
Clementiæ regina virtus :
Imperat hac LEOPOLDUS orbi.
Audivit Ister carmina Palladis,
Et ter sonanti plausit ab alveo,
Ter murmur undarum secutæ
Indigenæ accinuere ripæ.

XLIII.

SS. Quiricus & Julitta

Spartanâ melior Julitta , & trimulus Heros
Certabant, hic-ne an fortior illa foret.
Immemor illa sui sexus , oblita parentem,
Tortori gnatum tradere non dubitat.

Tar-

Tardior ætate hic matrem prævertit & annos:
    Prævolat hæc, palmam præripit ille prior:
Ista libens nato fuccedit adulta tenello
    Hostia; utrque Deo victima lecta cadit.
Fortes, quòd neuter fenfit fua vulnera: plus est
    Vulnera quòd neuter fenferit alterius.

XLIIII.

Ad Eminentiss. ac Reverendiss. Principem

FRANCISCUM BARBARINIUM

IUNIOREM

S. R. E. CARDIN. AMPL.

NEc molles Elegos, nec curto Epigrammata gyro
    Pofcimus; alternis fracto pede verfibus ite
Ludicra nugarum, quærulæque infaniæ amantum.
Scilicet heroo par eft te carmine dici,
Flos lecte Heroum, decus immortale Senatus
Purpurei, Francifce, Urbis fpes altera & Orbis.
Salve, macte Heros virtute, bona alite noftris
Edite temporibus: fiquidem te ad magna refervant
Fata: nec in caffum tibi tradere nomen avitum
Eft placitum fuperis; fic debellata dediffe
Africa Scipiadæ nomen memorabile Magno
Fertur; fic tibi Barbaries ducenda triumpho,
Aufpice doctrina fanctis & moribus, omen
Grande dedit; factis tu omen majoribus auges.
Per te inftaurari veteres miratur honores
Roma, diu gaudens tantæ fe dedere ftirpi,
Urba-

rbani memor Imperij sæclique beati;
exta recensetur gentilibus addita fastis
'urpura, sed laudes cunctarum amplectitur Una.
Regales thalamos præclaro sanguine tangit
Regia pene Domus, sedes dilecta Camœnis,
Quam quisquis, veluti sacram amplexabitur aram,
Spicula fortunæ tutus contemnet iniquæ.
Non minor ipse Atavis, omnes virtutibus æquas:
Nestoris ante dies imitatus Nestora mente,
Sublimes curas, implexaque vincula rerum
C–silio celeri & firma ratione resolvis:
Nil vulgi ad sensum certus sentire, verenda
Majestate nites, facilis tamen omnibus æquè:
Præque animi foribus generosa modestia frontis
Excubat; ut Virtutes liberiore senatu
Collectæ res intus agant, Constantia mentis,
Religionis amor, Pietas, Sapientia, Recti
Perpetuus tenor, & nullis addicta voluntas:
Æpytus ad Tiniæ ripas hæc carmina dixit;
Ducta sed ex vero, citra commenta poetæ:
Nec temerare tuas audebit fabula laudes.

XLV.

Lusus ex vero.

Ut curas abigam, peto rus: ibi noctua dira
Nocte canit tota: quid? canit? ægra gemit.
Quid? gemit, aut plorat? striderque ululatque molesta,
Obscœna, importuna, improba, somnifuga,
Credita Cecropiæ quàm falsò Palladis ales,
Quæ soror Invidiæ est, filia Tisiphones!
Urbanas redeo mox tentaturus ad ædes,
Ad me num tandem somnus itare velit.

In cassum: nam baubantum rabidissima noctu
Vicini ex horti limite furva canis
Latratu assiduo lunamque lacessit & astra,
Tam saevo ut nunquam Cerberus ore furat.
Territus interea somnus de limine primo
Aufugiens tacitus, non rediturus, abit.
Sat scio: Musarum sunt isthaec munera vati:
Sterteoti haud veniunt carmina digna cedro.
At si Castalidum tanti mihi gratia constat:
O vale Parnassi gloria: Somne veni.

XLVI.

Vulgi rumores negligat

MAGNANIMUS PRINCEPS.

INteminata lampade sol nitet,
Ingrata Momi progenies licèt
Censore vitro criminatrix
Objiciat male fana naevos.
Et Luna surdis praeterit auribus,
Lucisque telo nubila vulnerat,
Latrator in cassum molossus
Aera dum vacuum fatigat.
O quisquis aequis lancibus imperas,
Frenasque gentes, desine vilium
Invicte curarum, & tenacem
Perge animum Themidi elocare.
Clamoris inflans classica, garruli
Caterva vulgi personet auribus,
Longo querelarum tumultu
Rancisonas imitata ranas;
Justi tenorem perpetuum cole
Vindex avarae fraudis, & improbo
Livore linguas obstrepentes
Mitte suo fluitare limo.

XLVII.

VALENTIS CÆSARIS
D. BASILIUM PROSCRIPTURI

Sella curulis undequaque laxata diffringitur. Hendecasyll.

PRæstantissima Cæsaris curulis
Indicis pretiosior lapillis,
Sella nobilior nitentiorque
Ipsa flammigeri Patris quadrigâ,
Cur te non aliquis fuis Catullus,
Aut redux sine sorde Martialis
Dicat versibus elegantiisque?
Silvæ sissa nobilis fuisse
Credaris bona sella, blanda sella,
Quæ nuper bene docta es elegantes
Et scitos dare de Valente ludos.
Fœdo pondere Cæsaris gravata
Horrebas modò; cum soluta fibris,
Fracta pondere cum tuo repente
Longam Cæsaris explicas ruinam.
Quis risum cohibere possit? io!
Cæsar ille superbus, ille sævus
Terram tam facili premit ruina.
Ridete Hendecasyllabi: quis (io!)
Prostratum relevat manu Valentem?
Eja, quot, quot adestis, inquinati
Qua tinctus pice pertinax Arius,
Hic pedes, caput alter, ille terga
Erigat, levet, adjuvet: quis (io!)
Laxis parcere quis queat cachinnis?
Ludos quàm lepidissimos, curulis

Debemus tibi fella, pulchra fella
Nunquam commodior, virosque sacros
Opportunius apta vindicare
Quam per fragmina mille dissoluta,
Sicana potior diremptione,
Charybdi melior voraginosa,
Vulcani ingeniosior doloso
Rete, sella sagax, venusta sella!

XLVIII.

NUpta tibi est scabies: olim bona numina faxint
Ne nisi longævum deserat illa virum.

XLVIIII.

Q. Fabius cognomento Eburneus
Ad nates de Cœlo tangitur P. Val. l. 24.

QUà Fabius peditque sedetque, corusca Tonantis
Dextera sulphureo fulminis igne ferit.
Num clunes putat, altas Acroceraunia rupes
Jupiter, aut siculi culmina adusta jugi?
Sæpius inde vomi sensit cum murmure fumum:
Dum timer Enceladum surgere, tela jacit.

L

QUærere primitias non desinis, Attale, Jotti,
Et pretio insano Parrhasij redimis
Antiquas tabulas; sed centum millia debes,
Nec solvis: (1.) *Tabulas* expetis an-ne (2.) *novas*?

(1.) *Sall. in Catil.*
(2.) *Plutarch. in M. Ant.*

P E-

L I.

PERUSIA.

HOrrida seu rapuit toties in prælia Mavors
Fortes Heroas, Gryps Perusine, tuos,
Sive Minervali placuit decurrere campo;
Emeritum cinxit laurus utrinque caput.
Vicisti gladio, firmasti legibus urbes:
Parta trophæa foris, parta trophæa domi.
Lethæis sed mersa vadis fluvioque silenti
Plurima Turreuæ facta sepulta latent.
Scilicet ipsa sibi gestarum conscia rerum
Neglexit famæ pandere vela suæ.
Hoc igitur decus armorum, hæc sapientia legum
Velle juvare alios, nolle placere sibi.

L I I.

In Demosthenem VALENTIS CÆSARIS *coquum.*

DUM mysteria pandit orthodoxa
Disertè Basileus Valenre coram,
Audax promis ab ore inelegantì
Voces, mica salis quibus nec una est,
Tanto impar homo nomini, indiserte.
Miror, non animum tuum impudentem,
Quod turbas homini audens movere;
Verùm quod faber esuritionum
Cum sis, helluo, signifer popinæ,
Instructorque catus cupediarum,
Et scitissimus arbiter culinæ;
Miror nempe tibi sales deesse.

LIII.

D. VIRGINI MARIÆ

GENETHLIACON.

Qualis Eoo reduces cubili
Exerens Titan nitidus jugales
Nocte disjecta radijs malignas
Sauciat umbras:
Qualis, horrendum juga cum retexit
Lympha ferali satiata ludo,
Plausit ex alto Volucris, serenæ
Nuncia pacis;
Talis Annæas uteri latebras
Deserens, Virgo genitrix Tonantis,
Tristibus reddis nimium cupita
Gaudia terris.
Tu micas pleno Charitum decore,
Irrigat vultum properatus astris
Integer rivus nivei pudoris
Divite vena.
Inclytis fulges titulis avorum;
Proximum Cœlo genus, infulati
Ordines Vatum, seriesque Regum
Tollere certant.
Unus e cunctis modò se sileri
Respuit David celeber duello:
Testis immani Terebinthi arena
Clara trophæo.
Tetricam vallem Goliath trabali
Dexteram clava gravis occuparat;
Stravit imberbis puer ille vasta
Mole superbum.

Tu

Tu tamen major titulis avorum
Negliges fasces memoresque fastos,
Dotibus nunquam pereuntis ævi
Cœlitus aucta.
Tu renascentem recreabis orbem,
Et gravi telo quaties Avernum,
Ima tu nectes bona Diva summis
Pace sequestra.

LIIII.

VIRGO DEIPARA

Primigeniæ labis expers.

NOn dum culpa graves mundo pandebat Abyssos,
Cum me divinus concipiebat Amor.
Totus amor, mihi quem non irritaverat Adam;
Adstitit alter Adam, filia quem genui.
Primo mane Deus dextrę me protegit umbra;
Non - ne Aurora Dei tota serena foret?
Attamen id nondum statuunt oracula Romæ,
Sancta nec affirmat Religio, at pietas.
O quàm splendidior mihi gloria, sponte & ubique
Credi, quod certò credere nemo jubet!

LV.

DE S. NICOLAO

FUlgebant olim tria sidera pura, puellæ
Egregia forma, & virginitate pares.
Sed stimulat malè suada fames, atque urget egestas
Tam nitidum turpi perdere labe jubar.

Ter tempestivo Pataræus depluit auro:
Arcet furtivus crimina, fraude pia.
Expugnant auro complures castra pudoris:
Auro qui servet lilia, rarus erit.

L V I.

Officij mihi largus eras edentule; sed mi
Nil legas: non ergo officiosus homo es.

L V I I.

Ad Eminentiss. ac Reverendiss. Principem

ULYSSEM GOZZADINUM

S. R. E. CARDIN. AMPL.

TE - ne Virum tantis florentem laudibus, ultro
In laudes exire meas, secernere vulgo
Me censum capite, immeritum, virtutis egenum?
Scilicet Heroum est se se demittere in ima,
Nulla pati tamen interea dispendia honoris.
Nec pigeat si te mea Musa recensuit inter
Heroes, sed non quales fabricatur inanes
Vulgus iners, figuli in morem, qui nescius artis
Ridicula exemplo fingit simulacra virorum;
Sed quales formant doctæ decreta Stagiræ,
Quales nempe animi turbas frenare rebelles,
Ultra hominem assuetos, extollit ad æthera virtus;
Qualem te præstas animo rebusque gerendis,
Qualem mirata est mirari nescia Roma.
At non una sibi Virtus Heroica, culmen
Virtutum, stabilem sedem propriamque locavit
In te; nam patitur famulas accedere pulchro

Or-

Ordine dispositas Sophiam, Themin, atque Mathesin,
Ingenuasque Artes, Disciplinasque minores.
Addunt se comites faodi Lepor atque Venustas,
Et placidi Mores, & Candor amabilis, atque
Viribus instructa egregiis Facundia praesens.
Hac regnas animis, & Apolline digna loquutus,
Nestora longaevum, & Grajum praevertis Ulyssem.
Nam memini, & nuper Phoebi memorabat alumnus,
Excelse cum mentis opes, monumenta feracis
Ingenii cedro digna, & servanda cupresso
Deplueres calamo; tibi se adjunxisse sodales
Intentas operi Charites, Suadamque potentem,
Ut tua sublimerent arcano nectare sensa,
Demulcere animos ac flectere idonea Regum.
O utinam liceat seram producere vitam,
Donec compositus te cernens orbis adoret
Aurea prostratis renovantem saecula rebus.

L V I I I.

ANGELI DE ODDIS LAVIANI COMITIS, *E T* CYNTHIÆ CATENUCIÆ NUPTIÆ.

Alterius Leo, alterius Catenæ Insignia.

Epithalamium Dithyrambicum.

Virgo blanda, cui renident
Purpuranti vere malæ,
Virgo mel suavitatis,
Lecte flos formositatis,
Flos Amorum, ros leporum,
Gratiarum ocellule,

Mi-

Mitte pensa, linque fila,
Quæ colorant arva telæ,
Staminique Dædalæo
Parce Virgo, vulnerare
Innocentis ora lini,
Parce parva cuspide.
Cernin' ut ferocienti
Fervidus *Leo* juventa
Impotensque divagatur?
Sævienti, rugienti
Blanda necte vincla, molles
Injice & *catenulas*.
Sive prata, sive colles
Hospitalis Laviani
Calcat ungue pullulanti;
Collis horret, campus horret;
Blanda necte vincla, molles
Injice & *catenulas*.
Seu timendum frontis aurum
Jactat arduus jubatæ;
Horret aura, fulguranti
Cedit aura scissa telo,
Blanda necte vincla, molles
Injice & *catenulas*.
Sic *Leonis* inter astra
Æstuantis ardor iræ
Terret æthera, arva torret;
Donec astro mansuescit,
Increpescit, appetente
Mitiore Virginis.
Virgulata vecta concha
Diva dic: Jo triumphe:
Concitum modò *Leonem*
Sævientem, rugientem
Mitigavit ecce virgo,
Vinxit & *catenulis*:

Nos

Nos Hymen Hymen canamus;
Barbitique prurientis
Nunc pribremus ungue nervos:
Tu fruaris virgo præda,
Et vetuftæ ftemma ceræ
Augeas nepotibus.

LVIIII.

Fiat, ait Deus: en mundi fubitaria moles
Unius pendet vocis ab imperio.
Anguis ait, Comede: en labes teterrima rerum
Coniugis unius pendet ab arbitrio.
Fiat, ait Maria: en hominum reparatio tota
Virginis unius pendet ab obfequio.

LX.

ALNANUS

ECLOGA.

Almon, Celadon

AD riguas falices paftor confederat Almon,
Huc Paftor Celadon convenerat, Arcades ambo;
Colloquio cantuque fimul, terere otia nati.
Tunc fic ille prior, reddebat protinus alter.
Alm: Siftite oves: Aquilo filet hic in valle reducta,
Mitior aura tepet, fervataque gramina rident:
Monte fuper fævit Boreas, Pannique conifcant.
Celad: Huc pariter properate vagæ mea cura capellæ:
Parcite abire procul, ne vos mala frigora lædant,
Neve

Neve gregi noceant Satyri Faunique procaces.
Alm: Nonne vides, Celadon, alta nive Mænalus ut stet?
Jam prope captivus vicina Alpheus in ora
Cœpit iners hærere gelu tardante, doletque
Interea siculi divelli fontis ab ulnis.
Celad: Dic Almon, quando astrorum præsagia calles,
Atque Anni solisque vias, ac tempora nosti;
Quid tantùm festinat hyems, & bruma nivalis
Occupat Autumni, neglecto limite, fines?
Alm. Accipe. Jam redeunt celeri Saturnia gressu
Sæcula, & incipiunt magni procedere menses.
En jubet ætatem priscen radiare metallo
ALNANUS, manifesta Dei cui nuper ovilis
Tradidit imperium vox exaudita serenà
De regione Poli: Pastorum maximus esto.
Celad. Audivi, nec vana fides, memorabat Jolas:
Non illum fortuna favens, non grandior ætas,
Sed nivei mores, doctrinæ pondera, vitæ
Integritas, delata ultro suffragia Patrum
Frustra obluctantem dubiumque, ac multa dolentem
Evexere Virum tanta ad fastigia rerum.
Alm. Nunc meminisse juvat, Pastor cum Larius olim,
Larius eximio clarus pietatis amore;
Traderet ALNANO calamum, monumenta Ligei,
Dius ait Senior: Te nunc habet iste secundum.
Nectaris ille potens rom protinus Artica mella
Et solidam frugem calamo diffundere cœpit,
Ut melior primis quacumque incederet, Hic est
Melleus, audiret Pastorum perpete plausu.
Celad. Ingenij miratus opes, rebusque gerendis
Usque parem, Antistes sapiens, longævus Alexis,
Largitus rostis prætextam ebrida limbis,
Vaticinans: Te, inquit, fata ad majora reservant.
Parthenopeque satus, Pastor gregis, inclytus Anthus
Ardua curarum atque arcana negocia tradens

Ar:

ALNANO, expertus generosæ robora mentis:
Macte animo, dixit, votis assuesce vocari.
Alm. Infernis educta vadis Discordia, terga
(Hoc jubet ALNANI mens provida) territa vertet,
Nec jam civili rorabunt sanguine campi.
Ille suo nutu dubiæ vestigia sistet
Irenes: illi gentes secura quietis
Ocia debebunt: & cum bella horrida ponet,
Ante sacros extincta pedes flammasque furoris,
Paciferum ALNANUM pronus venerabitur orbis.
Celad: Sint superis grates: longè semotus ab oris
Arcadiæ, non infestus grassabitur hostis.
At neque plorabit questu Melibœus acerbo
„ *Nos fugimus patriam:* - *Hanc etiam vix Tityre duco;*
Sed pastas aget ad magalia tuta capellas
Vespere, villarum cum summa cacumina fumant.
ALNANUS defendet oves, & pascua læta
Monstrabit, pingui turgescent ubera lacte.
Alm: Jugera cuique sua & segetes servare licebit,
Nec tumido fastu vicini evellere sepem
Fas erit, aut veteres agris agitare colonos.
Propositi rectique tenax, discrimine nullo,
Cœlitus illapsam, terris jus reddere Divam
Lancibus immotis, obductam lumina velo
ALNANUS volet: hanc visam descendere ab axe
Filia narrabat Glauci prænuncia veri.
Celad: Ad Zephyri flatus viridi sub tegmine lauri
Pastores hilari traducent otia cantu.
Quas-ve notas Satyrus vates inciderat olim
Cortice in arboreo *Probitas laudatur, & alget*
(Incidit vates, utinam non vera fuissent)
Largior expungi mandabit Melleus iste.
Carmine fatidico id nuper cecinisse Virago
Fertur Nympharum castissima, præscia Manto.
Alm: Carminibus verbisque potens & suavibus herbis

O quoties virus letale exemit ab imis
Cordibus! Experti viralia pharmaca narrent
Flavicomi juvenes, genuit quos Arctica tellus.
Celad. Errantes revocabit oves ad pristina septa,
Quis dubitat? Repetet mox pascua wandalus acer,
Et quà sole procul tardi riget orbita Plaustri,
Vibrabit radios Sanctis de Montibus Astrum.
Alm. Jura dabit virtute sua, sed consona factis;
Moribus egregijs leges. *Cel.* Audite Sicambri:
Exemplo ALBANUS toti moderabitur orbi.
Hæc illi: Vota ad Superos cita pertulit aura.

L X I.

Octavij Lancellotti Obitus.

CIncta caput, mentita habitum per compita agebat
Pubes thyrsigero festa dicata patri,
Nuncia cum nostras (heu!) fama allabitur aures,
Te decus eloquij mortis obisse diem.
Protinus inversa est facies lætissima rerum:
Irriguo Risus proluit imbre genas:
Explicuit fera signa Dolor: damnata cupresso
Laurea serta: Jocus jussus abire procul.
Hæc siccis oculis quis funera tranfigat, ipsa
Lætitia in lacrymas cum resoluta dolet?

L X I I.

SUnt Venus, Ambitio, Nummus tria numina terris;
Est quartum Pietas fronte, animo Impietas.

LXIII.

SERENISSIMI PRINCIPIS

RAYNALDI ESTENSIS

NUNC MUTINÆ DUCIS

SACRA PVRPVRA.

DEsueta longo fila silentio
Rursum, sodales, tendite barbiti,
Plectrumque jam dudum recline
Pulverea prohibete sorde.
Auditis? an me ludit amabili
Errore mentis vis nova gaudij?
Ranaldus optato Camœnis
Dum Latij redimitur ostro,
Dum lata plausu mœnia Romuli
Implet sonanti Tibris ab alveo,
Scultenna dum gestit canorus
Per Mutinæ segetes feracis,
Per culta Avorum dum Padus insonat,
Salitque blando Sequana murmure,
Undasque plaudentes refundit
Oceano Tamesis Britanno;
Respondit, io, ter resonabilis
Pindus jocosa vocis imagine,
Cyrrhæque certatim recurvæ
Concava personuere saxa;
Ter visus auctas Pegaseus latex
Motasse lymphas lætior adspici,
Et pulchriùs vernans comarum
Luxuriem explicuisse laurus.

Tunc

Tunc fronde festâ tecta virentia
Risere Phœbi : tunc solito magis
Florentibus sertis revinctæ,
Implicitæque manus choræis,
Dixisse Musæ : Mellea sæcula
Ranalde profers Regibus edite,
O orbis effœti levamen,
Præsidiumque decusque vatum.
Ætas avitis nempe Apibus redux,
Musis amico lumine præitens
Terras revisit : florulenti
Per populos micuere nimbi.
Vides ut ævum Ver sibi prorogat,
Cœlumque ridet usque, & amœniùs
Respirat aura, duplicique
Vertice deproperant odores ?
Mellita pubes, nectaris artifex,
Aculeatæ nescia cuspidis,
Exemplar Urbani æmulata
Cecropias reparabit artes.
At te paternis non Aquilis minor
Spondebat orbi vividus impetus
Bellantis Heroem Gradivi,
Et similem Proavis Nepotem.
Semper, vetusto stirps sata ab Accio
Amat feroces gignere surculos,
Et usque palmis pullulantem
Progeniem generosiorem.
Ardor juventæ ducere te quoque,
Gestisque Avorum gloria fulgurans
Quæsita bellorum fragore,
Per medios poterat triumphos.
Sed bellicosi pectoris indolem
Attemperasti : mitis adorea
Ambivit augustos capillos,
Et potior tibi cura laurus :

Sed

Sed erudito pulvere nobilis
Per castra doctæ Palladis impigram
Mentem locasti, laureatos
Et Sophiæ & Themidis penates
Lustrare solers. Scimus ut ampliter
Regale pectus vis Sapientiæ
Gaza locupletat perenni,
Et Pudor, & Pietas, Fidesque,
Sponte & sequacis nectaris arbitra
Facunda Pitho, & Consilium Sagax,
Favorque largus literarum,
Munifica tribuente dextra,
Et fulgor oris, grataque Comitas:
Nam celsa quidquam non patitur sibi
Perire majestas benigno
Alloquio facilique vultu.
O æquet olim stamina Nestoris:
Audite Parcæ, fataque conscia.
Adesse Musarum, faventi,
Supplicibus, decet aure, votis.

LXIIII.

AD JOSEPHUM ANSIDÆUM

DE ACADEMICO PROBLEMATE

Pro utraque parte

Apud Insensatos disceptantem.

Hinc Amor extinguit generosos pectoris ignes;
Strenuus inde furor Martis in arma rapit.
Cor pendet, nec adhuc certa est sententia menti,
Debeat an magis hæc, an magis illa sequi.

Fulgurat hinc ferrum, flammasque exsuscitat iræ;
Inde flagrant oculi, qui fera bella vetant.
Mars, & Amor certant: ambos committis, Joseph,
Fortiaque ambobus tela, diserte, paras.
Pugnavere pares: victoria cessit utrique:
Attamen ingenio cedit uterque tuo.

L X V.

Elementa.

AEr, Terra, & Aqua, hæc rerum sunt semina Pæto;
Ignem arcet: scriptis ne timet ille suis.

L X V I.

AD LAURENTIUM LOMELLINUM

PERUSIÆ &c. PRÆSIDEM

Cum Graphices & Picturæ Academia instauraretur.

MAgnum opus aggreditur nullaque imitabile dextra
Pictura auspicijs nunc reparata tuis.
Nempe tuos vultus, Turrenæ gloria Præses,
Se putat artifici pingere posse manu.
Dumque instat solers operi, dat mille colores
Iris, & ipse locat lumina Apollo sua.
Irrita sed cedunt Artis conamina, namque
Ars animum & mores fingere nulla potest.
Expressisse quidem se credat Præsidis ora
Qui possit graphicè pingere Justitiam.

Vix

L X V I I.

VIx · dum factus eques, perfonam affumis equeftrem :
Nil fervile tibi eft, quid quid habes, domini eft.

L X V I I I.

JOANNES MAUROCENUS

ELISABETH MARIÆ TRIVISANÆ

S. P. D.

NIl opus eft calamo, nec fert pagella falutem,
Nec vox ulla fonat; mens tibi dicit, Ave.
Mens loquitur, mentemque tuam exaudire loquentem
Ipfe mihi videor : nec mea vana fides.
Aligeros ita fermones mifcere viciffim
Ajunt : mens tantùm munera vocis obit.
Nec pigeat modò conferri te mentibus axis
Siderei; cœlo tu quoque digna fores:
Angelici mores, nec moribus abfona forma,
Ora pudica, fides candida, fanctus amor.
Angelus in terris fe fe fi quando videndum
Fortè daret, vultu fe daret ille tuo.
Afpexiffe femel tantùm licuit; fed amanti
Afpexiffe femel quis putet effe fatis ?
Attamen obtutu flagravi protinus uno :
Hic tibi me junxit, meque mihi eripuit.
Infedit fubitò quam vivida flamma medullas!
Vix talem Ætnæi vifcera montis alunt.
Urit amor, fed caftus amor, qualemque vigere
In Superûm puris mentibus ufque ferunt.
Caftus amor, quali deceat te prorfus amari.
Idalias aliò verte, Cupido, faces

Nostra cupidineæ non lædunt corda sagittæ:
Ista sibi foveat vulnera vulgus iners.
At, si castus amor, cur connubialia longùm,
Prolato ulteriùs tempore, jura vacant?
Pacta fides, data dextra simul; cur fœdus amoris
Distinet immiri compede longa mora?
Saltem oculos lusu quandoque beare liceret,
Ac dulci affatu colloquioque frui.
Id certè tibi non vetitum, castissime Cæsar
Henrice, id licuit Valleriane, tibi.
Litoris Hadriaci decèris, Elisa, Virago
Cæciliæ suppar, nec Kunegunde minor.
Sed quodcumque sibi tales licuisse putarunt,
Cur nobis tantùm non licuisse potest?
Urimur interea: dilataque fœdera, ne sint
Quàm vereor, thalami pro face, tæda rogi!
Nam consanguinea est lethi, quæ viscera utrique
Non intellecto corripit igne febris,
Quæque bibit macies vegetum malè sana colorem:
Explicat hæc tacitus lurida signa dolor.
Audivi, atque utinam sint hæc mendacia Famæ,
Aut saltem veris deteriora ferat:
Audivi egregio decrescere corpore vires
Vi morbi medicas ludificante manus.
Me quoque vis eadem, atque eadem symptomata morbi
Protinus invadunt, pharmaca nulla juvant.
Acriter excruciant diri per membra dolores;
Acriùs excruciant, dulcis Elisa, tui.
Ureris? exuror: frigescis? frigeo: febris
Si tibi lenitur, fit mihi lenis item.
Quæ paritas occulta viget? motusque, gradusque
Quæ vis, quæve manus dirigit una duos?
Vos sophiæ proceres, clari vos arte medendi,
Dicite, quæ tantæ est abdita causa rei.
Dicam ego. Næ gemino geminas in corpore vitas
Mens

Mens una informat, spiritus unus alit.
Sic & acus geminæ, magnetis marmore tactæ,
Se simul arcanis legibus ultro movent:
Unius ingenio lapidis sentire videntur:
Altera ab alterius vivere discit ope.
Sic lymphæ Siculæ, cupidæ sic Elidis undæ,
Unus fons, unus creditur esse latex.
Dissita sic palma alterius procul ardet amore:
Virtus una duas educat, una fovet.
O veniat suprema dies fatalis utrique:
Sedem unam, tellus quam negat, astra dabunt.

LXVIII.

Theologicæ & Homileticæ Virtutes

Ex omnibus virtutibus lectissimæ
Tres sunt puellæ cœlites, ad sidera
Quæ corda pertrahunt, Fides, Spes, Charitas.
Ex cæteris virtutibus lectissimæ
Tres sunt puellæ, corda quæ mortalium
In cœtu & in congressibus devinciunt,
Humanitas, Veracitas, Festivitas.

LXX.

AD D. VIRGINEM MATREM

Pro celeri *Chalcidis* expugnatione

Votum MDCLXXXVIII.

At non, vagantes una diutius
Chalcis triumphos pressa morabitur;
Invicta bellatrix ab astris
Threïcio eripiet tyranno.

Audit rogantum vota Dei parens,
Audit minantes Odrysijs tubas,
Seseque permiscens duellis
Sternet humi sine clade muros.
Quid, Virgo, posses magnanimi favens
Cœptis Leonis, plus vice simplici
Cruore deformes pudendo
Ismariæ didicere Lunæ.
Te Leucas imo sensit ab æquore,
Te claustra Epiri, te Pelopi domus
Regnata quondam, teque fauces
Isthmiacæ bimaris Corinthi.
Latè horruerunt robora Virginis
Juxta Leonem litora Bosphori,
Et clade pallens imminenti
Urbs Scythici stabulum latronis:
Et illa tandem, debita Numinis
Ultoris iræ, saucia lugubres
Pœnas subibit, Amphitritæ
Sanguineum regerens tributum.
Sed Chalcis arctas Euboicæ premens
Telluris oras, fac modò, poplite
Cadat recurvo, prompta palmas
Adriaci cumulare Patris.
Non ille cautes horruit arduas,
Non æstuantes, quas vicibus frequens
Resorbet Euripus procellas
Heu lacrymis celeber Stagira.
Ades precanti. Marmora jam parat
Templis Carystos: sparsaque litora
Gratantis Ægæi, potentem
Te Dominam pelagi salutant.

JA-

LXXI.

JACOBUS ZANDEMARIA

PATRITIUS PARMENSIS

PERUSIÆ PRÆSES.

ALloquio facilis, sed servantissimus æqui,
Ultor noxarum, sed probitatis amans,
Nescia mens falli, sed fallere nescia, pectus
Infractum, morum candor, amœna quies,
Sunt animi dotes. Sed par est gratia linguæ,
Par vitæ eloquium Palladis arte potens,
Ubertas, gravitas, nitido Sapientia cultu,
Socraticæ gazæ, Nestoreique favi.
Quod calamo scribis, factis priùs exprimis auctor,
Respondet gestis linea quæque tuis.
Delphica de te consulta ipsa oracula dicent:
Vivere nec meliùs, scribere nec poteras.

LXXII.

DE S. BARTHOLOMAEO.

ASpicis ut laceros nova purpura vestiat artus,
Mersaque sanguineo flumine membra natent?
Parce cruentatum, lictor, laniare cadaver:
Heu furor! in toto corpore corpus ubi est?
Dirum hominis monstrum! ne habeas id nominis unus,
Quem lanias, monstro num capis esse parem?

LXXIII.

Ad Eundem.

Mendax fama refert Nemeæo tergore onustum
Iviſſe Alciden : hinc tenet aſtra Leo.
Tu quoque (parta tuo ſed ſanguine) victor opima,
Barnolomæe, refers, ſideribuſque locas.
Par opus ut fuerit ; quàm longè clarior ille
Eſt, cui victorem contigit eſſe ſui !

LXXIIII.

AD JOSEPHUM STANISLAUM MONTI S.J.

Qui Pronubum B.V. Annulum panegyrica oratione laudaverat.

Cuicunque adeſtis Numina cœlitus,
Non turbo lædet, diraque fulmina,
Non ſæva tempeſtas Gradivi, aut
Fœda lues populata terras.
Impunè riſere Argolicas minas,
Pulſata quamvis ariete, Pergama
Secura fatorum, dinque
Soſpite Palladio ſtetere.
Ancilliorum, & pervigilis foci
Urbs ſepticollis præſidio potens
Nil caſtra formidat ferocia
Æacidæ, Hannibaliſque fraudes.
Non culta flammis Veſta perennibus,
Scutumve Martis, haſtave Palladis
Tuentur Auguſtę ſuperba
Mœnia, turrigeroſque colles:

Tu-

Tutelâ præsens rebus in arduis
Nos una servat Pronuba Tessera,
Regina gemmarum, repostis
Eruta ab Empyrei fodinis.
Hoc vinclo amoris, quod tibi venulas
Tangebat olim cordis ad intima,
Nobis in ævum te Patronam
Sollicitam, bona Diva, spondes.
Infesta nostros tota acies subit
Etrusca muros: territa conscio
Horrore cessit; fulgurabas
Hoste super, sine clade victrix.
Afflata tristi sidere pluries
Contaminatique aeris halitu,
Œnotriæ tellus acervat
Funera funeribus: sed hærens
Ad limen Augustæ attonita, hic ubi
Spirare cœlum purius incipit,
Non ausa crimen, virulentos
Abstinuit Libitina gressus.
Quàm vasta nuper perculit Italos
Formido, clauso murmure dum solum
Mugiret, evulsisque saxis
Tecta, viros traheret vorago!
Augusta perstat, præsidio satis
Innixa sancti pignoris; & procul
Turres catenatasque moles
Præterit incolumes ruina.
Te curvo ad aram poplite civitas
Devincta, Virgo sospita, te prece
Supplex adorat, teque thuris
Niliaci saliente mica.
Nos verba, Monti, dona dicabimus:
Sed Plinianas tu superas opes;
Gazas Venusinas ego Irus
Frustra sequor inopi negatas.

D.

L X X V.

D. Catharinæ palma multiplex

Barbara tortorum lassataque brachia plagis,
Cæsaris illecebras, Cæsareasque minas,
Vincla, rotas, gladios, jejunia longa, tenebras,
Quinquaginta sophos, plurima monstra necis;
Tam multa enumeres, expendas omnia; dices:
Aut plures tanta, aut vincere nemo potest.
Aspice, quà Nilus protumpit in æquora; dices:
Vincere tot pestes una puella potest.

L X X V I.

E L P I N A

E C L O G A

Clasius, Tiberis.

Tibri Pater, placido cursu Perusina per arva
Quàm lenis fluitas, & amœna rigare vireta
Blandus amas, quibus ultra & citra tempus in omne
Convestire tuas gaudet bonus accola ripas,
Ut nemus Elysium faciat vix fabula tanti!
Tib. Nusquam terrarum, quas alluo divite vena
(Urbem, quam dicunt Romam, excipe) cultior erro.
Sex mihi marmoreos Etrusca Perusia pontes
Instravit latè rerumque hominumque capaces,
Ne pede polluto mihi perspicuum agmen aquarum
Inficiat quisquam, donec Perusinus inerro.
Quà Latialis ager metatur jugera mille,

Cernere erit passim, certè vidisse pigebit,
Me non absimilem stagno marcere palustri:
Squalet Ager, squalet Tiberis regnator aquarum.
Non ita, quà se se incipiunt submittere colles
Turrigeri, & spectant procul incunabula solis.
Per variam hic segetem, halantes & floribus hortos,
Atque per arboream seriem longo ordine ductam,
Plantasque omnigenas, Perusina industria dives
De viridi scena instruxit mihi grande theatrum,
Quo nullum tota Italia formosius extat.
Ipse ego non semel audivi, cum fortè viator
Hac transit geniumque loci sedemque beatam
Admiratus ait: pater o pulcherrime salve:
Diceris hic meritò Tiberis regnator aquarum,
Tu quoque præcipuus cultor, nitidissime Clasi,
Nostras largus opes jam non novus advena ditas.
At cur deficiens, oblitus pene tributi,
Pauper aquæ, lentis modò gressibus adventabas?

Claf. Parce pater. Levior - ne moræ tibi causa videtur,
a. Chrysidę quod Sponsa tuo festinat abire
b. Elpine, cui rara parem produxerit ætas.
G. Virgo subasæas inter pulcherrima Nymphas?
Accurrunt celeres, trepidant & flumine toto
Najades indigenæ Phaetusę, Deiopeja,
Complurefque aliæ gratantes: meque patentem
Dum nimis implicitum retinent, ego segnior ibam.
Scilicet Elpine reliquas super-eminet omnes
Et cursu, & saltu, & cantu, formæque nitore,
Et quæ flexanimo se promit ab ore venustas.
Vidi ego, cum se proripiens de monte Subasij
Tesiius immitis torrens ruit impete vasto,
Et limo & saxis nostras contaminat undas,
Infestatque ferox: tum si fortè obvia fiat
Blandior Elpine, subsidit turbidus ille
Decrescitque statim: tanta est reverentia formæ.

Nulla

Nulla eanit meliùs divina incendia amoris
Pauperis Herois, quino eum vulnere languet:
Aut cum cœlestis fidicen se sistit amanti
Vix unam leviter percurrens pectine chordam;
Aura silet, cupidi cohibent vaga murmura venti.
Tib. Audivi, & vidi: nostras eum viseret oras,
Dotibus egregijs vultuque Elpina sereno
Exhilarare animos & cuncta beare solebat,
Quòve pedem ferret, ridebat lætior aer,
Sponte sua edebat florum nova germina tellus.
Augebant tantas pudor atque modestia laudes,
Virgineumque decus cumulabat gratia morum.
Atque hæc Chrysiden movere, ut fœdera casti
Conjugij sanciret & optatos Hymenæos,
Chrysiden, cui per montes, per plana vagantur
Mille greges, totidemque agri scinduntur aratro.
Parvulus in eunis vix-dum ludebat eburnis
Herculis in morem, eum Martius ardor avitus
Erumpebat adhue tener: adventante juventa
Intorquere leves hastas celeresque sagittas
Inter pastores facilis labor, ardua quæque
Suscipere ante alios, montana per avia cursu
Scandere celsa juga, & fluvios tranare tumentes.
Mars ferus abripuit juvenem, quà Belgica Scaldis
Arva secat, Scaldis jam dudum sępe cruentus.
Multa viri bello audacis fortissima gesta
Fama canit: fluit hostilique suoque cruore
Undique, non animæ parcus, nullaque laborum
Exhaustus facie, validos cum proterit hostes,
Emicat & major pulchro cum sanguine virtus.
Clas. Hac virtute placet geminis Heroibus; alter
Induit Assyrio saturatas murice vestes
Moribus antiquis, sancta & pietate verendus;
Ad geminos amaes Pastor lectissimus alter
(Tuque vides, ubi Nar tecum conjungitur albus)
Exem-

Exemplis ut pascat oves, virtutibus ornet.
Non sic alterna in cœlis statione renident
Tyndaridę gemini, Pollux cum Castore, quales
Elpini fratres conjuncto sidere fulgent:
Vos Superi servare diu duo lumina terris,
Aurea nec properent pręcidere stamina Parcæ.

Tib: Audin? cornipedum celerans quatit ungula campos;
Bis deni juvenes præclaro sanguine lecti
Undique Chrysiden stipant: ruit obvia sponsæ
Officiosa manus: jam mergitur æquore Titan.

Clas: Jam pueri quinas incedunnt lampade tædas.
Bis denæ pariter præstanti corpore lectæ
Agglomerant Nymphæ, & sponsâ comitantur euntem.
Tibri vale: Elpine properat: cras cætera dicam.

Tib: Tu quoque mi Clasi (nostra est Elpina) valeto.

a. Chrysides) *Claudius Comes Aurelius Perusinus*
b. Elpine seu Elpina) *Agnes Sperelli Assisias*
c. Subasius) *Mons Assisio imminens*.

LXXVIII.

AD JOSEPHUM LAUDATUM PERUS.

Pictorem egregium

ÆNIGMA.

ME quoque persectam, Pictor, describe figuram
Non sum, si bene me noveris, orbe minor.
Et capite & pedibus careo; sed in ordine recto
Ambulo post bipedem: nilque volubilius.
Nec sum in natura, neque possum existere in usu;
Et tamen omnis homo me procul esse nequit.

Nec

Nec solem fugio, nec abhorreo viscera noctis,
Et procul ab se se me jubet ire dies.
Sum princeps orbis, quamvis excludar ab urbe:
Contineorque Deo, nec Deus ipse capit.
Nil cum laude mihi, sine me sed gloria non est:
Sum vox mira quidem, pretereaque nihil.

LXXIX.

MULTIPLEX MARE

Feliciter detectum, ac enavigatum in recensendis Christi Domini cruciatibus

Fer. VI. in Parasceve

Per D. Ant: Cotonum Congr: Casin:

NUper atrato caperatum amictu
Suaviter tristi Eloquium Cotoni
Obrutum fusi pelago cruoris
Flebat Jesum.
Sæpe compressis lacrymis tonabant
Dicta ferali trabeata luxu:
Nec semel clausæ, lacrymæ subibant
Munera vocis.
Venit in partem queruli doloris
Siderum sedes, dedit ægra fletus:
Audiit lessus penetrale divûm, &
Luxit amarè.
Fortè ibi magnos spatiatus audit
Inter Heroas Ligur Argonauta,
Qui novas rerum facies retexit,
Auxit & orbes,

Ac

Ac ſtupens dixit : Nova quæ repoſtis
Ingenî promis maria e latebris !
Noſter Antoni, tibi curſus omnis
Ceſſerit uni.
Albicans pontus fere lactis inſtar
Obvius noſtris fuerat carinis,
Tum nigri fluctus tetricique, & undæ
Verſicolores.
Quale tu pandis pelagus dolorum,
Lacteo quamvis fluitet liquore!
Quanta tempeſtas furit æſtuoſo
Æquore Amoris!
Quæ tumeſcentis rabies procellæ
Ingruit ferrugineum per æquor,
Innocens Jeſus Odij nigrantes
Cum ſecat undas!
Quæve Pœnarum freta, diſcolores
Quæ rotant fluctus, retegis Cotone,
Hic ubi mixtus malè purpuraſcit
Sanguine livor!
Scilicet loris lacerata Jeſu
Membra liveſcunt viciata tabo,
Et terebratos ſanies cruenta
Fœdat ocellos.
At quis immenſum Mariæ Parentis
Lacrymis manans Mare metiatur?
Heu quis infandi truculenta narret
Monſtra Doloris?
Unus hæc præſtat facili Cotonus
Entheæ mentis ſpatiatus aura:
Ingenî nempe Eloquijque metas
Tranſilit unus.

DE

LXXX.

DE S. EUCHARISTIA

Inimici hominis domestici ejus.

SAnguis & ipsa caro est homini teterrimus hostis,
Quem tenet ille domi: hinc æstuat Ira, Venus.
Ira, Venus frigent, hominis si quando sit esca
Ipse Dei atque hominis sanguis & ipsa Caro.

LXXXI.

PETRONILLA PAULINA DE MAXIMIS

Poetria Clarissima.

SUme lyram aut cytharam Musarum maxima, Sappho
Dulcior, Aonidum Præside digna canes.
Sume arcum; Livor mordax, Oblivio cæca,
Tempus edax, numquam fortiùs icta, cadent.
Credo equidem, Phœbus Pindo si cederet unquam,
Castalij princeps agminis ipsa fores.

LXXXII.

AUt Cæsar, aut nil esse avebat Borgia
Rebus gerendis, arte, vi, potentia.
Sic Eloquentiæ latinæ in pulvere
Non Symmachus, non qui fatinæ ejusmodi,
Non qui se asellum venditabat aureum;
Sed Tullius, vel Crispus, Afer, Sarsinas,
Aut Cæsar, aut nil esse quæras, si Sapis.

PA.

LXXXIII.

PARODIA

Ad Horatij Oden *Bacchum in remotis* od. 19. lib. 2.

JEsum e Syonis vertice sedulò
Vidi docentem (credite vatibus)
Subterque discentes cupita
Carmina Parthenias puellas:
Non auribus vulgi obvia carmina
Nec fabularum syrmate turgida
Promebat: audivere valles
Et mutilas retulere voces,
Quas nemo præter virgineum chorum
Intelligebat, nempe *jugum*, *crucem*
Subire, *complecti*, *flere*,
Se & sua funditus abdicare.
Princeps puellarum agminis emicat
Gertrudis, ingens gloria Belgij,
Qua nulla divinos amores
Aptior interius fovere.
Iuxta morantem vidi ego Virginem,
Cui Senæ origo, quinaque vulnera
Introrsum adacta clam renident:
Hanc nive candidior Columba
Sectatur ultro, sæpius extases
Perpessa longas: o geminas faces,
Utranque Gusmani parentis
Egregiam sine labe prolem!
Vidi Teresam sidus Iberiæ,
Cui mente fixum atque ore *Pati aut Mori*,
Virtutis exemplar vetustæ,
Et jaculo terebratam Amoris:

F Hec

Nec tu latebas Magdali Pactia,
Cui mente fixum atque ore *Fati, haud Mori*,
Quò Musa pergis? te hæc profano
Non pudet attenuare cantu?

LXXXIIII.

Horarium quadruplex.

SOl, rota, pulvis, aqua horarum vaga tempora signant:
Vita fugax umbra est, orbita, gutta, cinis.

LXXXV.

Coturnices

Munus Jac: Zandemariæ Parm: V.S.R.

LAnguebam curis æger, neque corpore sanus:
Oderat ipsa cibos pene sepulta fames
Cum duodena venit pinguis Pygmæaque perdix
(Isacidûm poterat quæ decuisse gulam)
Te mittente, meamque implet grata hospita mensam,
Inter quæsitas fama secunda dapes.
Illico cura fugit, redeunt ad munia vires;
Non tulit hanc munus, sed tulit auctor opem:
Dicta coturnicum fuit olim patria Delos.
Delius has certè misit Apollo mihi.

DI-

LXXXVI.

Dido.

Hærent infixi, Didonis pectore, vultus
Verbaque, sed vultu figitur illa prius.

LXXXVII.

AD ANDREAM BENINCASA

Perusinum S. J.

Nam cur superbis lunula calceis
Assuta splendet? Tollite ab atrijs
Majorum imagines dolentum,
Cum videant agitare inertem
Vitam nepotes? Non ita Castores,
Præclara Avorum progenies, sati
De stirpe Catrani vetusta,
Queis rutilat Perusinus æther.
Sed (heu!) prior maturus honoribus,
Pernix migravit, solvere Gordios
Nodos Alexander sagaci
Consilio Themidis peritus,
Fratri superstes tu excipis illius
Vicesque famamque, auspice Numine
Prognatus, Andræa, ad supremam
Perniciem stygij tyranni.
Dotata sanctis sæcula moribus
Redire cogis, suaviter increpans:
Virtute nimirum potentis
Eloquij trahimur volentes.

Te lenis ardor, te vehementia
Et granditas, & terror amabilis
Commendat orantem, & silens vox
Multiloquo subeunte gestu.
Quàm fortis urges, arduus ignea
Dum tela vibrans, pectora concutis
Reposta, non præceps inanes
Elicere in lacrymas dolorem
Mox transiturum; sed penetralia
Altè pererrans abdita cordium
Horrore mansuro! Periclem
Sic memorant tonuisse Athenis.
Hac arte pollens, par tibi munere,
Gentilis idem, strenuus Andreas
Athleta Gusmanæ palæstræ
(Bis duo præteriere sæcla)
Ad Chersonesi litora Tauricæ
Vectus beati Flaminis impetu,
Æstuque flagrans, barbarorum
Cimmerijs tenebris daturus
Cœleste lumen, quà prope Bosporus
Intrat paludem, quà Tanais rigens
Secernit Europam, nivales
Intrepidus peragravit oras;
Donec cruentas carnificum manus
Nactus, profuso sanguine pulchrior
Cervice tinxit, sacra Cœlo
Victima, Sarmaticas secures.

Li-

LXXXVIII.

Literarium Lycæi opus, frequentes hirundines aliquando interturbant.

PLurima vos circum plaudens adsibilat Atthis:
An putat hic patriam se reperisse suam?

LXXXVIIII.

INNOCENTIO XI.

P. O: M.

Hyems sine hyeme Anni MDCVC.

FLorida ridet hyems, annique senecta virescit,
Bruma tepet, nubes exulat, aura silet.
Hos decet Innocuis sub moribus orbe renato
Ire dies, tales Principis ire dies.

XC.

DORASTRI ALPHEONII (J. BAPTISTÆ HERCULANI)

Funus Anniversarium.

NUnc integrabit flebilis noster chorus
Leonte Pastorum Duce
Solenne munus funebris pompæ annuæ
Dorastri amicis Manibus.
Nos insuavem concinemus næniam
Lessumque lacrymabilem

Tu luctuosa, Mopse, fistula praei:
Moesto sequar te carmine.
Lugete, Musae: tuque, Phoebe, tristior
Adsis acerbo funeri.
Lugete, Nymphae: tuque Tibri ulula pater
Squalens, ab imo gurgite.
Vos ferreae, vos Parcae inexorabiles
Cur amputastis aureum
Stamen Dorastri (pro nefas!) nec aureos
Mores, nec auream ingeni
Purùm fluentis venulam, nec aureum
Vernantis aetatis decus
Spectare vobis venit in mentem, improbae
Nigri sorores Tartari?
Heu! pastor ille, tanta cui suavitas
Manabat ore melleo,
Tantusque sermonum lepos, amabilis
Ipsis ut esset lividis,
Amor & voluptas Arcadum, sodalibus
Desideratus omnibus,
Fatorum iniquitate raptus plurima,
Ille, ille raptus, hic jacet.
Vos fata, turpi crimine invidentiae,
Nec liberet Demosthenes,
Nec alter a Demosthene, Latij decor,
O caeca fata, o impia!
Ille universas Archimedis machinas
In promptu habere callidus,
Et Gordios Mathematum nodos statim
Dissolvere aptus unicè
Et quae vetustatis penu recondita
Latent, disertè promere,
Ille & cruenta belli arena exercitus,
Diuque Martis assecla.
Sudavit, alsit cassidis sub pondere
Clarus fugatis hostibus.

Nec

Nec pace segnior, assidens iners domi,
Ignava traxit otia;
Sed Palladem Musasque contubernio
Excepit, æquè strenuus,
Et doctus æquè: quina donec septies
Immitis æstas abstulit,
Immitis æstas, quæ abstulit tantum boni,
O surda fata, o invida!

X C I.

IRA ET AMOR.

IRasci quàm turpe malum, quàm pejus amare!
Ira furor brevis est; longus, Amor, furor est.

X C I I.

SEcuram vegetamque diu vis ducere vitam?
Contentus modico rus cole, jura, Deum.

X C I I I.

AD SERENISSIMUM PRINCIPEM

E U G E N I U M

DE SABAUDIA

HEroum soboles, Heroum maxime, salve,
Turcarum, & quos barbaries sociaverat, ingens
Terror, & Auroræ spes opportuna gementis.
Illa quidem Byzantinos pertæsa tyrannos
Vindicias petie, indignis onerata catenis.
Heu! quæ terrarum spatia & maris occupat una

Prædatrix , invisa Deo gens effeta , tantùm
Crescere sueta diu per tot dispendia nostra ,
Mutua Christiadum per jurgia , per tot amara
Dissidiorum odia , & plusquam civilia bella !
Eja age , rumpe moras : captivas assere terras :
Aut nunc , aut nunquam melior se præbeat ansa .
Jamque asper Dacus , profugusque Scytha obice nullo
Detrectant infame jugum , & victricia Magni
CÆSARIS arma rogant, quibus improba vincula frangant.
I felix : te fata vocant , validissime Victor .
Quocunque accedis , spirat felicior aura ,
Fama præit , comes est Victoria , Gloria servit .
En nova Cæsareos exornat adorea fastos
Te duce : nil obstant tot millena agmina Thracum :
Immensa illa acies perculsa fugitve , caditve
Funditus : Odrysio spumant de sanguine campi :
Obtruncata jacent congesta cadavera passim .
En nutu sublata tuo sunt Turcica claustra ,
Victaque Taurunum Tibi mœnia tradit & arces :
Porta patet , latèque licet protendere fines
Trans Rhodopeja juga , & gelidas Hæmi convalles ,
Trans fontes Hebri , Euxini ponè æquora Ponti ;
Quà se præcipuè effundit sinuosa Propontis ,
Threjicius sese quà Bosphorus urget in arctum ,
Turrigerasque arces exporrigit æmula Romæ
Urbs , olim Imperij Sedes , nunc antra latronum .
Huc age Cæsareas aquilas fortissime Ductor :
Tantarum hæc rerum sit meta , hæc gloria belli ,
Duplicis Imperij dare CHRISTO limen utrunque .
O utinam queis fixa locis fulgebat ubique
Impia Luna , micent nostræ vexilla salutis .
SANCTE PATER , cui tanta Deus largitur ; ut ista
Eveniant , precibus votisque litabis ad aras ,
Teque diu incolumem supplex venerabitur Orbis .

Ta-

XCIIII.

Taurunum seu Alba Græca Turcis erepta MDCCXVII.

GRæca Alba, urbs jam Mysorum fortissima regni,
Obsidio extremo cum premeretur, ait:
Grande mihi decus AUSTRIACO submittere fasces;
Non minus est quod me vicerit EUGENIUS.

XCV.

DE CONSTANTIJ MARTINELLI *Latina Scriptione, cui titulus Perusina Redintegrationis*

PUlsa Themis Latio, per te nunc reddita, par est
Et tibi reddat agros. *Barbarus has segetes?*
Virg. Ecl 1.

XCVI.

JO: PAULUS ET FRANCISCUS ALEXANDRI JOVIJ FF.

SIdera Turrenæ si vos surgentia, fratres
Specto; Tyndareum lumen uterque refert.
Si capitis cerno lauros, imberbe genarum
Si decus; a Phœbo distat uterque nihil.
Lumina si ingenij doctas excusa per artes
Contemplor; dici Pallas uterque potest.
At sive OEbalij fratres, seu Cynthius estis,
Sive Minerva; Jovem jactat uterque patrem.

Pa-

XCVII.

Podagricus.

Non læsi pedibus quemquam, non ossa parentum
Calcavi imprudens; quid mihi cum podagra?
Nec cujusquam obolum rapui, ratus esse beatum
Paucis contentum; quid mihi cum cheragra?
Tuque genu infelix, quid culpæ admiseris, æquè
Ignoras; ergo quid mihi cum gonagra?
Attamen innocuus pedibus, manibusque, genuque
Cur podagra, & cheragra, cur gonagra excrucior?

XCVIII.

Roma Mora est: habuisse Fides quot Martyres olim
Narratur, totidem spes quoque longa facit.

IC.

Philosophus & Parasitus

Phil. Utcumque præstat esse, quàm nequaquam esse
Paras. Tunc esse præstat, cum sit esse quod possim.

C.

SANCTISSIMO
CLEMENTI XI.
P. O. M.

Jo: Maria Salvioni.

Antistes Orbis, Ætherisque Janitor,
Priùs vacans hæc area
Te largiente liberali dextera
In nostra cessit commoda,
Nos officinam fecimus gratam sophis,
Gratamque Musarum choro,
Perennitatis officinam scilicet,
Quæ mira miscet balsama.
Hic arte nostra comparantur optima
Oblivioni toxica,
Æternitati consecrantur inclyta
Itura in ævum nomina.
Nostro laboro Fama trans Lethes vada
Heroas altè provehit,
Et concitatis pervolans jugalibus
Te Vaticani e vertice
Ad posterorum posteros gestat libens,
Atque: Princeps Optimus
Clemens revexit prisca nobis sæcula
Beatitatis aureæ,
Qui literarum Præses, Orbis Arbiter
Gregorius alter, & Leo

Ru-

Rubiginem situmque tergens sedulus
Et literis & moribus ,
Exemplar in se præbuit pulcherrimum
Et vitæ & eloquentiæ .

C I.

OMnia combussit moriens sua scripta Philautes :
Captavit laudem laudis ab interitu .

C I I.

Jocus .

NOn deerunt morbi , Medicorum ubi turba moratur ;
Non deerunt lites , sunt ubi Caussidici .
Caussidicos igitur rarò , raròque medentes
Consule , si tecum vis bene semper agi .
Aut si morbi angunt , Messalam consule & Aulum ;
Si vexant lites , confuge ad Hippocratem .

C I I I.

AD MATTHÆUM ÆGYPTIUM

Qui auctorem rogaverat , ut Epithalamium quoddam scriberet .

TU potes ingenio Heroas formare futuros ,
Tu testudineo saxa movere sono ;
Tu potes imperio defessas cogere Musas ,
Ut quantumvis sint ardua , jussa canant ;
Efficere ut juvenis redeam adversante senecta ,
Nec potes ingenio , nec potes imperio .

A. D.

C I V.

A.D. III, EID: JANVAR. CIϽIϽCCVI.

IN Curia Parnassi frequentes adfuerunt Val: Probus, Gruterus, Manutius, Panvinius, Fabrettus, ceterique Curatores perpetui basium accuum lapidum Urbis & Orbis VV. AA.

Quod Matthæus Ægyptius Neapolit: V. Cl.
De re literaria universa opt. meritus
Sordeis sermonis lateini abstersit
Eumque in statum pristinum restituerit
Quom redhostiundus pro merito videretur
Quid fieri placeret consulti
D. E. R. V. J. C.

Marmora & æra loqui prisco limata nitore
Quod propulsata barbarie jubeas
Per te docta loqui tam bellè Ægyptie par est
Incipiant de te marmora & æra loqui.

C V.

Post datos ad B.V. cunas Angelorum ludos Eucharisticon

Plautino charactere:

Evax evax. Bono omine it tandem dies;
Quem pene nobis ominosum fecerant
Aligerulorum consuti dudum doli,
Quantulum abest quin Rapacidarum dixerim!
Pol excubandum perpetim nobis fuit,

Et

Et circumſpectandum oculis oculeiſſimis,
Ne plenè nobis os probèque ſublinerent.
Noſtro periculo docti intelleximus,
Cur evocatos adeò huc vellent anxij
Lallumque, Cuninamque, blandam & Næniam,
Et Murmurillum, Nictelamque, & ceteros
Somni ſuccenturiatos fortis milites.
Struebant illi nempe technas ampliter,
Soporis opportunitate qui cleperent
Molliculam Infantulam, noſtrumque Corculum,
Opemque optatam, opimitatemque optumam.
Nunc navim in pulvinarium ſubduximus
Superis lubentibus & ipſa lubentia,
Quom ſe expediverunt hinc tandem Aligeruli.
Unam tamen fraudem frauſi ſunt, & dolet,
Nimis & conturbavit nobis ratiunculas,
Quòd unà cum Puella conſopiverint
Venuſtatem & Lepores inſimul & Gratias.
Prævorſi noſtra ſunt conſilia callidè,
Et omnis nobis corrupere Gratias,
Quas auditoribus debemus optumis
Turreni poſteris, Jani abnepotibus
Viris domi militiæque cluentiſſimis.
Nunc quando decollavit una hæc ſpes bona,
Et actum eſt jam de Gratijs, ingratijs;
Licebit noſtras excuſare ineptias:
Si quis ſupinus naſo Rhinocerotico,
Averſus a Muſarum dulcitudine,
Quartave Luna, aut auſpice Scorpio ſatus,
Si quid meremur plauſi fortè deneget,
Sed ſubdolè ſuffundere frigidam volet;
Vitilitigatorem haud moramur peſſumum,
Donec meliuſculum quid promat de ſuo.
Peracre verò eſt quibus acetum in pectore,
Quique intus toti habitant, quique antiquum obtinent;
Si

Si diobolare est quidquam hisce inficetijs,
Inanijsque oppletum ac titivillitijs,
Si Sapientibus hujusmodi ferme viris
Auris eradicavimus meris logis
(Quod facilè nos speramus impetrasse)
Ab his non plausum, sed veniam ultro poscimus.



JO-

JOANNIS ANGELI
GUIDARELLI
PERUSINI
PROLUSIONES III.
ORATIONES FUNEBRES II.

PROLUSIO I.



I quantum elegantiæ rebus omnibus a varietate accedit, æquè tantum admirationis parit novitas; in Gryphis certè procreandis, si vera fides, admirationem simul excitare, ac voluptati consulere voluit solertissima rerum parens natura: ubi scitissimè cum varietate pulcherrima copulatam exhibet admirabilem novitatem, N.N. Mirum itaque videri nemini debet, cur Augustæ Perusinorum tantopere placuerit illud sibi symbolum adoptare: ut nimirum geminata indole animantium nobilissimarum unam in speciem coalescentium adumbraret unam eademque in gente, eodem in solo enascentem, & ad posteros propagatam geminæ laudis adoream; eximiam fortasse Armorum præstantiam & literarum. Sed acerba nimis atque intempestiva, in hac Studiorum instauratione, accideret armorum recordatio: nec generosæ hujusce juventutis ingenia, animorumque motus præfervidi sua satis sponte in militiam procurrentes, ad ejurandum dictum Musis Sacramentum sunt pellicandi, sat scio. Nobis, qui togatæ, non togatæ Palladis meremur stipendia, liceat omnino ad rem nostram Gryphum trahere: cum siquidem ex veterum sapientum monumentis Aquila regios prorsus mores atque imperatoriam designet majestatem, quam legibus armatam esse oportet; Leonis verò speciem commonstrent Ægyptiorum literæ eloquentem virum, non animantium quidem regem, sed animorum; quid

 pro-

prohibet admirabilem geminæ facultatis principis, Jurisprudentiæ scilicet ac Eloquentiæ, consensionem agnoscere? De utraque igitur ita verba facere animum induxi, vobis non improbantibus, ut statuamus tandem, Jurisprudentiam Eloquentiæ viribus persici, Eloquentiam Jurisprudentiæ præsidijs sustentari. Ita rem non iniucundam sapientissimis hisce Patribus me facturum putavi, quorum mentes & linguas Themis insedit, & Suada; operæ pretium certè non exiguum exteræ ac patriæ iuventuti, quæ vivis & spirantibus incitata exemplis condiscat ad utramque literatiæ palæstræ laudem multo nobilissimam inflammato studio contendere.

Et debent illæ quidem collatis in commune opibus mutuam sibi opem ferre uno fermè satu genitæ eodem educatæ sub tecto, ab antiquissimis usque temporibus inter se complexę. Si Rhetoricæ artis magistris fides habenda est, ex ipsis urbium initijs utraque auspicatò emersit: cum scilicet sapientissimis conditoribus non magis curæ fuit ædificandis oppidis vallum describere, quam Politiæ statuendæ leges ferre; turribus & propugnaculis adversùs ingruentium vim bellorum præmunire, quàm saluberrimis firmare institutis, ne morum sanctitas labem aut rimam uspiam ageret: quæ omnia utique, Tullio teste, sine admiranda ac prope divina dicendi facultate nemo unquam effecisset. Inde confirmatis jam viribus adultæ unà in forum processerunt sibi regnum paraturæ, ibi quoque singulari caritate conjunctæ, perpetuis officiis atque Studijs sibi invicem opitulantes. Quoties meditabundæ Eloquentiæ, nec satis expeditè opus suum aliquando molienti, præsto aderat nervosior Juriprudentia: laboremque illius sanè operosum non spectabat quidem feriantis in morem, sed volenti nolenti officiosas admovebat manus, & in officij partem sedula veniebat! Quoties legum doctrinam nimis pro imperio agentem, more militari succinctam,

ĉtam, ac ruditer pro jure suo depræliantem, humanior Eloquentia, animosque tractare sanè callida, adhibito veluti poppysmate, impetum frangere cogebat: flexanimis quibusdam succis & vulgo ignotis audientium aures respergere, composito ad venustatis leges incessu se se blandiùs insinuare edocebat! Quid porro ex Græcis Demosthenes, Lysias, Æschines? quid apud Latinos Tullius, Crassus, Hortensius, ceterique fori reges, quorum ingens nomen æternitati ab Eloquentia commeodatum, nulla unquam delebit oblivio; quid, inquam, spectabant, dum periclitanti reorum saluti patrocinarentur, quàm ut præcipua Legum doctrina eximiaque dicendi facultate stipati, uno sub vexillo eàdem opera utrique militarent?

Sed ut rectiùs atque ex ordine res proposita conficiatur, disiunctis tantisper copijs, si per vos licet, alteram ab altera seponamus: factoque ab Jurisprudentia initio, eam ipsam aio ab Eloquentia vires mutuari, ut se se maiorem in modum perficiat. Quam plurima siquidem in evolvendis Legum codicibus passim occurrunt implexa, obscura, in se se recurrentia, ac sermè inextricabilia, nisi Eloquentiæ auxilium & fax opportuna viam expediret. Quanta præterea Romanæ historiæ intelligentia, quàm varia & diffusa rerum eruditione instructam, veluti saburra, navem esse oporter, quæ se se vasto Legum pelago committat! Mirum proinde nemini sit, propter templum Apolloīs Palatini sessitare olim consuevisse ac disceptare Juris peritos, quasi ad aram literarum amœniorum opus esset confugere: atque in eodem templo Bibliothecam Juris civilis & liberalium simul disciplinarum Cæsarem Augustum dedicasse. Eat nunc aliquis torpentis aut corrupti palati, & Eloquentiæ munditiam, quisquilias Grammaticorum dictitet, aut levicula quædam magnanimis viris neglectui semper habita.

Num vernaculi Sermonis delicias anxiè aucupari , & ætatis ferme dimidium Hetruscæ Scriptioni elimandæ largiri , id enimuero generosum aliquid sapit ; ad Latinæ aut Grecæ facundię fontes omnis artis & disciplinæ liberalis latices purissimos digitum intendere, literatores proletarios dumraxat & capite censos decere censeamus ? At non ita hercle Antistius Labeo sentiebat , vir olim & optima inter cives Romanos conditione , & civilis disciplinæ studio , & eximia de jure publicè respondendi peritia longè clarissimus ; qui cum latinarum vocum origines rationesque omnes in numerato haberet , ea se maximè uti scientia ad enodandos plerosque Juris nexus profitebatur . Budæis credo , aut Alciatis , tum recondita legum Sapientia, tum loco , ordine , ac munere præcipuis , item (1.) Alexandro Neapolitano , aut (2.) uni fortasse de tam multis nostratibus , cujus Analecta supra saliares epulas & Apicij cupedias sapiunt , dedecori fuit scilicet aut fastidio rerum gravitati oitnrem ac delectum verborum admiscere ; propriè & signatè , ita uti decet , loqui ; vitalem strigoso quandoque operi ac macilento colorem induere ; uno verbo , per omnes Eloquentiæ numeros ire . Utinam Accursio ejusque asseclis , antequam ad interpretandas leges illoris pedibus accedetent , venisset in mentem cultioris disciplinæ tyrocinium ponere , si tamen illa ætas id ferebat ; non utique barbarie pro sapientia uti , nec in plano & æquo loco offendere contigisset aliquando & hallucinari , bono lumine literarum meliorum destitutis . Academicam præsertim Jurisprudentiam adeò non dedecet Eloquentiæ viribus subnixam incedere , ut propemodum sit e re publica eam obire provinciam viros in bonarum artium arena non perfunctoriè exercitos ,

(1.) *Alex. ab Alex.* (2.) *Josephi Nerij I. C. Perus. Analecta.*

citos, ut vero ac germano rerum verborumque intellectu informentur tyronum ingenia: neve adolescentes, dum ad emporia literarum frequentes convolant, pro luce tenebras nundinentur, pro gemma lutum. Expedit praeterea audientum mentes non dum planè subactas., & crudi adhuc tyrocinij, nitido quodam ac læto, sed perspicuo dicendi charactere inescare; expedit tetricæ legum doctrinæ supercilium imminuere, ne qui ex amoenis Rhetorum spatijs ad severiora Juris castra transitum modò fecerunt, austeritate horridæ disciplinæ deterriti animum illico despondeant, Sacramentum solvant, vallum derelinquant.

Jam verò illa, utpote magis ardua, multò diligentiorem postulant orationem, quæ mihi posteriore loco dicenda proposueram, Eloquentiam nimirum non parum luminis & opulentiæ, plurimum verò præsidij & dignitatis accipere ab Jurisprudentia. Cum in comperto sit Rebus constare ac Verbis omnem Eloquentiam; Rerum ac Verborum copia multò maxima eaque selectissima procul dubio ex uberrimo Jurisprudentiæ fonte derivatur. Et quoniam amplitudine Rerum multò magis quàm Verborum invalescit vis Eloquentiæ; sanè præstantissimarum Rerum silvam affatim leges suppeditabunt, sive in Judiciali dicendi genere suas illa exerceat vires; sive apud Senatum deliberet; sive ad populi panegyrim se se in Exornativo genere ostentet. Meritò irridebat L. Crassus, & impudentiæ arguebat oratores nonnullos, qui circa forum volitantes caussis se agendis implicarent ab Juris civilis disciplina jejuni. Nam in Judiciali quidem genere, ubi hominum salus in discrimen vertitur, ubi de fortunis de capite dimicatur, ubi demum Justitiæ virtutum omnium præclarissimæ fortiter asserendæ elaboratur; actum erit omnino, si Legum ignarus Orator, quod est in caussis agendis validissimum

instrumentum, sit ab alio petiturus: aut si de tribus capellis vicini fraude abactis fortè dicturus, prævaricatoris magis quàm oratoris more, extra chorum saltando, a Cannensi clade auspicatus, per Punica periuria, per bella Mithridatica, per Syllas & Marios, universam devoluat, non orationem quidem, sed congeriem ineptiarum. Ex Legum officina, quasi Iustitiæ armamentario, petuntur tela amentata, quibus Eloquentia in forensi conflictu devictis adversarijs opima spolia reportat. Et sanè vigentibus Atheniensium aut Romanorum iudicijs donec florebant Respublicæ, stetit mascula & lacertosa Eloquentia: immutata iudiciorum forma, ubi, eversa republica, omnia in unius hominis arbitrium cessere; illa quoque paulatim viribus exhausta, enervis elanguit, ac prope funerata est, deperdita vetere illa effigie succi & sanguinis plena; *lurida tantùm imagine & exstincti floris velut umbra inani superstite*. Quod verò ad Genus Deliberativum pertinet, nunc mihi planè id videor percipere, quod non semel ab Aristotele inculcatum video, Artem Rhetoricam ex Politica maximè constare, Rhetoricen civilis scientiæ propaginem esse: unde privatum quoddam veluti fœdus Politicen inter ac Rhetoricen percussum docent Oratoriæ facultatis interpretes clarissimi. Si verò ad hunc modum se res habet, quod nemo ibit inficias; quanta suppetet diserto senatori facundiæ opulentia ex Legibus universæ Politices custodibus atque administris? sed neque Exornativo dicendi generi sua desunt ab Jurisprudentia optimatum rerum momenta: omnem siquidem laudationum materiem præbent abundè fortitudo, liberalitas, modestia, animi magnitudo; item pax, gloria, honestas, patriæ charitas, in Deum ac parentes pietas, ceteraque virtutum & officiorum genera, in quibus enucleandis ac promovendis, non magis Ethice versatur,

tur, quam ejus certè affinis Legum sapientia. Norunt vel lippi & tonsores, Scævolam Juris apicem apud Panætium Philosophum diutiùs operam oavasse, a quo, narraote Tullio, hausir oon pauca, quibus Jurisprudentiam locupletaret: adeò ad formandos rectâ honestaris régula mores, non plus habet momenti Socratica domus, quàm Juris peoetralia, & supra Bibliothecas omnium Philosophorum, ex Crasi sententia, est unus duodecim tabularom libellus.

Res coosequunrur Verba: quorum pariter liberali & exculta copia Eloquenria mirificè ditatur. Scitè Julius Cæsar verborum delectum appellat origioem Eloquentiæ. At unde nam, rogo, promptior delectus verborum, quàm ex beato & inoocenti Romaoarum Legum solo? prorsus ut germanam cohortem, nulla peregrioitate ioquioaram, sed verè Larini oominis, legionemque Primigeuiam aut Augustam inde fere duntaxat liceat conscribere cordatis ingenui sermonis conquisitoribus. Nam illud eloqurodi genus hic iotelligi volumus, quod salubre sit magis quàm ambitiosum; elegans ac temperatum, quam redundans ac tumens; castigarum & circumtonsum, quàm dissolutum & luxurie nimia enectum. Neque adipalem saruritatem, nec maciem exilem, nec putidam vocnm insolentiam hoc ambitu comprehendimus, sed germanam dumtaxat & incorruptam Eloquentiam: honestissimam cuius formam minimeque fucatam commender nobilis mundities ad matronalem graviratem culta, color syncerus ex integro saogoine Latinitatis. Huiusmodi Eloquentiæ vultum quicumque amant, quem profectò uoicè amant sanæ meotis homines, qui diuturnicati scribunt, non thuri & scombris, præter Tullios aut Cæsares delibant, atque adeò cupidè perpotaot nuoquam satis laudatos Pandectarnm fontes, evolvunt assiduè Iuris gazas ex Attici leporis thesauro effossas, genui-

no

no candore nitidas, ad usum ferme omnium rerum apprimè factas. Vestram fidem, Paulli, Papiniani, Scævolæ, quorum beneficio Latini sermonis arx a barbaris mansit inexpugnabilis, ajebat (3) unus quispiam ordinis vestri (quotquot adestis Jurisprudentiæ Proceres) vestræ inquam Curiæ Senatur minimè pedarius, sed Juris æquè ac Eloquentiæ consultissimus.

Quare age, Juventus nobilis, generosa Pubes, huc animum. Strenuam operam navantibus, geminam in portu palmam Gloria pollicetur. Jam quotquot referantur Gymnasia, totidem fermè Jurisprudentiæ patent & Eloquentiæ Lycea; quot exedræ, tot palæstræ. Agnoscit Jurisprudentia intra hæc mœnia Antesignanos suos lectissimos, agnoscit & Eloquentia commilitones suos. Ipsi suo satis exemplo ad utrumque opimum decus facem præferunt, docentque uno sub tentorio inito fœdere libenter hospitari, eodem sub pectore contubernium concordissimè agere germanas easque omnium principes disciplinas. Sed omnium acerrimè ad tantam gloriam comparandam animos incenduot sapientissimi Præsules: quorum utrique clarissimum genus non inanis quidem fastus aut inertis otij fuit unquam illecebra; sed ad bonas artes alacriùs capessendas, & ad præclara virturum exempla in dies magis edenda stimulos admovit. Audiant Superi vota. Adsit utrique Præsuli optimo matura, quæ jam est dignitatis, ita pariter honorum accessio; clarissimis Academiæ Patribus antiqui decoris & splendoris tutandi constantia; generosæ Juventuti geminata industria ad fovendam perpetuò Jurisprudentiæ & Eloquentiæ coniunctionem.

(3.) *Andr: Alciatus*

PRO:

PROLUSIO II.

FAtalem diem suum, cum omnia in terris expectent fluxa & caduca, dies ipsi subeant est necesse, qui finem rebus important (Illustrissimi ac Reverendissimi Præsules, Senatus Auguste, Viri, Auditores) nam & dies tantæ cladis minimè expertes, se se mutuo allisu brevi conficiunt: & sæcula longiore cursu stadium emensa, in calce operis, dum præfinitam absolvunt periodum, curriculo evoluta depereunt. Septimum ac decimum pariter hoc sæculum, magno annorum fasce, at multò magis rerum in eo gestarum pondere gravatum, quasi senex capularis, fugientem animam primoribus labris vix tenet. Immo jam pene vivere desiisse nos computamus Academicis nostris in Fastis, quibus novi anni Literarij Kaleodas præfestinatim Nonæ Novembres Solemni ritu auspicantur. Narrari adhuc audimus vetus insitititum a Barbaris quidem profectum, Græcis tamen, Hetruscis, ac Latinis summa cum lande usurpatum, ut illustrioribus ætatis suæ Viris & Heroibus per varij generis ludos darent inferias. Ita planè in augusto Cœli theatro, ubi Sol primarum partium persona diei fabulam occidens claudit; Sidera illico videmus ac Stellas in scenam impigras prodire, & choræam agitantes, lucis parenti extincto ludibundas parentare. Quid tandem piaculi futurum sit, rogo, si desuetum efferendi morem instauremus aliquando? Agite verò: dum vobis Reipublicæ literariæ Proceribus & Candidatis ritè deducentibus,

præ,

præclarum hoc & memorabile caput gymnastica pompa ad rogum prosequimur; misceamus & nos funebres Ludos: atque per transcursum, si libet, spectemus regia planè Munera, quæ hic edere festinant lectissimæ Viragines, Liberales enimverò Munerariæ, hoc est ad sæculi funus Disciplinarum & Artium certamina.

Atque inter Circenses, apparatissimi ac regali planè munificentiâ editi apud priscos Romanos semper fuere Venationum Ludi, quales præsertim populo exhibuic Julius Cæsar adhuc adolescens, cum patri optimo justa persolveret; confectis deinde civilibus bellis magnificentiùs repetijt, faucios nimirum Pompeij cæterorumque tot civium manes, largiùs profuso etiam belluarum sanguine placaturus. Cum leonibus, elephantis alijsque feris bestijs, insano sumptu ex Africa comparatis, committebantur in Circo singuli adversùm singulos, vel adversùm turmas turmatim Venatores: quos aut ignavos manebat immanis laniena, aut victores aurum & corona. Avet Ludis se nostris immiscere facultatum omnium princeps Theologia: & licèt humanis disciplinis longè nobilior sapientia, in hoc tamen bonarum artium Certamine conatus suos & illa postulat spectari nam ipsa quoque Ludos decretoriæ pugna nostro ævo editas ostentat adversùs truculenta hæresum monstra. Superius certè sæculum vidit hereticam perfidiam bicipiti auctore proseminatam non dum adultam: inveterata cujus audacia & ingenti virium accessione roborata, ætati nostræ reservabatur validiùs vulneranda. Quàm multos siquidem explicuit divina hæc facultas centum hisce annis infulatos, cucullatos & aliusmodi Venatores, quorum Herculeo robore pervicacia violatæ Religionis monstra eminus & cominus confoderentur. Addite Jansenianum dogma pluries perculsum: addite postremas fœdissimas belluas, specie pietatis, & Quietis obtentu exitiales in abdita di-

diutiùs grassatas; quibus e latibulo eruendis & ad internecionem profligandis operam sanè non Indicram navarunt nostri Sæculi Sapientes clarissimi.

Neque miriores olim pugnas ediderunt in Amphitheatro, quàm in Circo Quirites in Munere Gladiatorio, quàm in Venationum Ludis: ne humaniores quis putet in homines quam io feras extitisse. Ut vulnera in prælijs & horrendum mortis rictum conremnere adolescentes, atque imbellem ablegare miserationem condiscerent, excogitata eiusmodi fortitudinis meditamenta, pautatim in libidinem omnis crudelitatis abierunt. Hinc cruenti Gladiatorum greges & laniftarum familiæ, hinc nomina barbariem spirantia ad immanem Romanorum voluptatem adinventa, quibus vulnerari homines fuit lusus, palmare facinus homines interfici. Sexcentos & eo ampliùs annos tenuit hæc rabies domitorem Orbis populum: & cicera horrorem spectavit aliquando Roma oculis irretortis ad millena Gladiatorum paria intra paucissimos dies commissa, strue cadaverum Libitinæ spolia in immensum cumulare. Memorantur in primis ad Syllæ Dictatoris, & ad Cæsaris filiæ rogos edita feralis ejusmodi sævitiæ spectacula, digna gemino carnifice Munera. Humaniùs certè Græci, inter funereos ad Patrocli bustum ludos, singulare Diomedis certamen cum Ajace dirimere maluerunt, quàm interempti juvenis cineres ampliora per funera & cædes expiare. O utinam melior aliquis Genius dirimat tandem aliquando efferatas Philosophorum pugnas: discrepantibus quorum placitis, nondum quæ sint rerum initia liquidò constat, nondum abdita naturæ arcana penitus referantur. Lusit profectò, sed præter lusum, intra huius sæculi ambitum gladiatorio more Philosophia; nunc verò parentalia jam jam extincto & ipsa maximè adornat. Nam cujus hominis miserabilis cla-

mor

mor aures nostras ferit ? Vocem, non vultum Philosophorum principis agnosco; adeò vulnera & cicatrices devenustant infelicem. Miseret me tui: nondum enim humanitatem exuimus & nos. Itàne veteranus miles & ductor emeritus, qui tot numeraveras palmarum acervos, quot Philosophantium familias recensent Gymnasia, tot plausus ostentabas, quot diebus constant viginti fermè transacta secula, Sapientum Preceptor, Doctrinæ Parens, Rex lycei; nunc de principatu dejectus, toto pene jugulo ferrum recipere cogeris ? Sed bono literatum fato supersunt adhuc prænobiles Gladiatores, parati omnem injuriam abs te propulsare, ac strenuis ingenij copijs pristinum in regnum asserere. Adsunt etiam sapientes Caduceatores, qui recentiorum amicitiam tecum conciliare satagunt: nam fraudari certè non sinunt laudibus suis validissimas junioris Philosophiæ acies Anglicas, Gallicas, Germanicas, Italicas, perspicacissima sæculi lumina ad immortalem nominis famam victura. Quamvis enim nihil ultra profecisset recens causarum Investigatio, in minimis-ne haberi poterat, quód Mercurius non jam structor mendaciorum, sed fidus veri scrutator, vitreis fistulis ac siphonibus tanquam arctiori carceri mancipatus, tam multa & varia per experimenta, quæsitæ diu veritati diem aperuit ? quód inveterata de Infectis ex putri subnascentibus opinio propemodum nunc eversa, detecta ovorum genesi ac fœtura non subitaria, naturam haud novercam fateri cogitur in res vel minimas longè nobiliùs, quàm putabamus, liberalem ? quòd uberrimmus ingeniorum hujus sæculi proventus,

Nullius addictus jurare in verba magistri, tam multas rerum causas non imaginarias quidem, aut in feraci dumtaxat Peripateticorum solo enatas, sed experientia duce, natura ipsa mirante, a vulgi æstimatione

tione semotas, tandem deprehendit ? sed vos æquissimi judices ancipitem hanc & in lubrico positam causam dirimite ;

Nos interim aliò vocat strepens classicum & auribus allabens celeuma nautarum. Ferunt inter funebres Ludos navalia quoque certamina olim edita nec semel fuisse, qualia in Siculo freto ad patris Anchisæ tumulum dedit Æneæ pietas ; qualia longè magnificentiùs Juliæ fato functæ præbuit parens Cæsar Æneæ nepos, ut reliquorum Cæsarum Naumachias instructissimas prætercam. Adsunt nostræ Ludorum celebritati Mathematicæ Disciplinæ : & quæ non ignavam nec inertem navarunt operam, ut hoc sæculum ditarent, hic præsertim tot præclara Astronomica, Optica, Mechanica, ceteraque recentiora inventa singulæ contendunt ad Orbis miraculum explicare. Quis porro classici præcentor ? quæ tuba signum certamini edet ? Audiri meritò postulat inclytus ex Anglia (1) tubicen, Stentore longè vocalior : & marte suo excogitatam expedit Tubam ; quam inflet quidem in posterum Fama, ut verè loquax, una proferentis voce, uno ferme temporis articulo, ad longinqua spatia hominum aures impleat ; Ausim Musarum aut Suadæ benevolentiam, si qua est, sponsionis loco deponere, si quidquam transacta sæcula, quod acusticæ huic Tubæ comparetur, possunt objicere. Prælongo scilicet tubo immissa sermonis vox, opposita laterum in orbem subinde laxiorem repercussa prodit tandem sese major : & nacta liberius augescendi spatium, per varias undulationes & amplos vortices illico traducente aere ; feriantibus ventis, integra auribus, ad plura milliaria, eadem sermocinatrix, sed centuplo auctior se tandem expromit, veteri factura locum adagio, ex musca elephantum. Regia ejusdem Angliæ Navalia Orbem attonitum docuere, quo pa-

cto

(1) *Samuel Morland Eques.*

cto ligni fragilitatem eludant nautæ, fabrefactis ex ære cupro miræ celeritatis navibus: adcò parum abest, quin velificari etiam in aeris æquore videamus volantes cymbas, quod fieri posse Mathematico ingenio paucis ante annis (2.) Italus ille indicabat. Angliæ pariter acceptum referant navigantes singulare illud artificium, quo aqua marina, insitæ contumaciæ oblita, deposita recens amaritie, didicit tandem ad omnium rerum usum mitescere. Nam post hæc inusitata Ætatis nostræ portenta, quid ultra se le audeant obtrudere novissimæ immanes bolides, terræ fulmina, ignea tectorum pernicies? quid tam multa & varia tormentorum novæ artis ac machinarum genera proximis bellis adinventa? quid hydraulica horaria, & alia complura nemini antea reperta aut cogitata Mechanices miracula? Sed hæc minora sunt & volitationum simulacra. Audeant quidem Optica Italorum inventa certamen subire, virium suarum bene conscia. Ut sileamus tot recentium Perspicillorum genera; ut de tam multis celeberrimis unam dumtaxat recenseam proximam urbem ingenijs æque ac nomine florentissimam; quid fieri poterat Telescopio illustrius, quid opportunius ad felicissimi sæculi laudem singularem? Non jam debemus humanæ naturæ imbecillitatem incusare, postquam angustior antea oculorum conjectus, Galilæi beneficio ad Cœlestium Orbium fines porrectus, non reformidat modò penitissima siderum ad censuram revocare. Quantum illi debet recens Astronomia, quòd possit aliquando cum Venusino.

Egregio inspersos reprehendere corpore nævos, detectis tandem, post illibatam ab Orbe condito sinceri fulgoris famam, inerrantibus disco solari maculis! Quòd valeat deinceps non inani fastu maria & mon-

(2) *P. Franc: Lana S. J. in Prodromo Artis magistræ*

montes intra Lunæ ambitum polliceri ! quod quatuor omnino satellites , aut stellas omnibus adhuc invisas , inspectet ad Jovis orbem mirabili celeritate circumvolutas , sidera nimirum clarissimi nominis Medicea ! Tantò demissiùs jactent nunc superiora sæcula conterraneum Galilæo Americum adjectâ Orbi antiquo magna lacinia laudatissimum , quantò sublimius censendum est siderum familiam introspicere , atque adeò augere , quam terrarum pomæria prolatare.

Jam verò Palæstra nos diu expectat ; jam lacertosi Athletæ vires suas exprimere gestiunt : nam Heroum funera & ipsi apud Græcos celebrarunt , & Nemeæa Ludos Archemoro filio interempto sacravit Lycurgus , & ad Patrocli tumulum Aiax & Ulysses jam tum mutuò æmulantes æquis viribus luctam ediderunt. Ita pariter nostrorum Ludorum Palæstram clarissima Medendi ars illustrat , quæ cum prævalido morborum agmine manus conserit ritu planè Athletico . Et sanè Lybica in arena non tam impeditum cum Antæo certamen Herculem sustinuisse jactant , quàm difficilis & aleæ plena imminet lucta adversùs corporum ægrotationes , quas humi prostratas cum putaveris , frequenter videas instaurato robore validiores exsitere . Nunquam aliàs meliores Palæstritas dedit hæc Facultas : nullum certiùs quam hoc sæculum, per Anatomen accuratissimam comperta penitus humani corporis structura , ad præcipuos vitæ fontes , Cor & Sanguinem , digitum intendit . Ut reliquas omnes sagacissimæ Artis recentiores indagines silentio transmittam ; quis citra noxam præteresat , aut quis satis & pro dignitate deprædicet admirabilem illam Sanguinis in se recurrentis jugem orbitam non ita pridem deprehensam , æmulante Natura parvo in hoc mundo majoris miracula , & aquarum ingenium suos ad fontes longum post iter redeuntium ? Piaculum esto

non cursim saltem delibare Lacteas Venas nuperrime detectas, quarum ductu maxima Chyli pars ex intestinis in Cisternam ad id temporis pariter ignotam depluit, exinde per thoracis euripum in venæ axillaris ramum, tum demum in Cordis Augustale transmittitur, gloriante jam Chylo se quoque ut fabularum Deos ad Regiam Lactea semita deferri.

Sed o citò semper labentes in terris voluptates! Dum Ludos majores ac principes Disciplinas cupidiùs spectamus, præfinitæ semihorulæ angustias jam pene transilit tumultuaria Oratio. Meos erat Equestribus etiam & Curulibus Ludis operam dare omnium maximè innocuis & citra sanguinem, ac lepidissimas tripartitæ Eloquentiæ Virgines ad conficiendam illorum celebritatem adducere. Equestres nimirum a Græcis editos olim ad Archemori ad Patrocli busta, ornatissimos vero Trojæ ludos ab Ænea Patri Anchisæ datos, ab Romanis postmodum instauratos aliquando, quàm bellè hic quoque adornabant Oratoria Facultas & Poetica! Oratoria, inquam, quæ paucis ante annis verborum offucias pertæsa, ac per sensa suaviùs quàm per verba in animos illabens, cœpit jam ad pristinam formam nitidior emergere. Poesis verò & ipsa tum Latina tum Italica optimè de hoc sæculo merita, nunc tandem exoticum cultum viriliter aspernata, genuino nitore contenta, ad antiquorum speculum composita, castigatior, sed una venustior incedit. Mens erat postremam præsertim, Historicam scilicet Facultatem, adhibere, quæ celeberrimos Quadrigarum ad metas decurrentium Ludos expleret, ac sæculi hujus quasi Triumphalia jure suo agitaret. Et quamvis Historia nulla ostentet, ut reliquæ Artes & Disciplinæ noviter inventa, quæ tantopere ab ejus instituto abhorrent, antiquæ majestatis retinens, nunquam sui dissimilis; nova tamen & admiranda quidem

certè

certè prodidit posteritati & prodet huius ævi gesta, nobilissima enimuero scribendæ historiæ argumenta. Nam nulla fere post hominum memoriam tempora uberiorem obtulerunt Scriptoribus segetem: prorsus ut qui res proximè transactas audierint, non unius sæculi, sed pene omnium ætatum facta sibi explicari arbitrentur: Bella nimirum immania, diuturna, ad omnes Orbis angulos applicita, per singulos. Mediterranei & Oceani sinus raptata; obsidiones nullis retro exemplis confectas; urbes innumeras & maximas propugnatas, captas, vindicatas, diteptas, eversas; exercituum internecione furori barbarico, aut Religioni Orthodoxæ toties litatum.; Thracibus erepta intra paucissimos annos continenti victoriarum cursu quatuor (& ampliùs) Regnorum amplissima spolia tribus omnino sæculis per ipsos acervatim congesta: Sed non vacat ad clepsydram dicere sæculi gesta Æternitati consecranda.

Id superest dumtaxat lectissimi, ab extero & Perusino cœlo quotquot adestis Disciplinarum Candidati, ut eorumdem abeunti, sæculo vestra imponat literaria industria: deinde ut vobis præcipuè adnitentibus, duobus (3.) Patritijs Coss. saluberrima lex rogetur: *Ut Minervalis Augusta Pubes, amota cuiusvis desidiæ suspicione vel levissima, nativam generosi animi alacritatem conferat, sine fraude universam ad consequentis Sæculi gloriam sui ingenij monumentis æquè propagandam.*

(3.) Luca Alberto Patritio Perusino Perusiæ Episcopo Joanne Marchione Patritio Romano Perusiæ Præside, nunc S. R. E. Card.

PROLUSIO III.

UT per solemnes statasque ceremonias renascentibus studiorum Initiis, alternis proludant Lycei Rhetores, ritè a maioribus institutum accepimus (Illustrissimi, ac Reverendissimi Præsules, Senatus Auguste, Viri, Auditores) quò exteri ac Perusini adolescentes ad capessendum alacriùs Sapientiæ cultum excitentur, iis præsertim adhortantibus, qui Eloquentiam profitentur, hoc est præcipuam olim partem Sapientiæ. Illud tamen in hac tanta celebritate accidit perincommodè, quà tandem ratione auditorum fastidio sagax occurrat novitas argumenti. Mihi certè arduum in dies magis sese offert, ac periculosæ plenum opus aleæ, aliquid pro hisce Rostris præfari, quod commendatione novitatis superiorum gratiam obliteret; uno verbo, *quod priùs non sit dictum*; quod audientibus satis æquè faciat ac dicenti. Quid porro? Num attentionem vestram capturus, ad Eloquentiæ laudes hic toties repetitas, ipse quoque divertam aliquando? Quærant sibi alij ovationem, aut etiam triumphum, si superis placet, ea ex provincia, per me quidem licet. Salmacida illa spolia, sive, ut sibi persuadent, opimum illud decus nemini præreptum imus. Planè, ac sine fuco. Ne diutius vos juxta mecum sollicitos habeat permolesta novi argumenti cogitatio, bona vestra cum venia, Orationem Auspicalem hoc anno statui omittere, cujus loco, si per vos licet, Narrationem subjiciam sanè non illepidam; simplici tamen cultu, procul ab omni mundo muliebri; adeò ut

ut minimè opus mihi fore intelligam, aut enthymemata rasis librare in antithetis, aut insanis substructionibus periodos architectari. Narratio est.

Sesqui-Ulysses quidam, quicum summam mihi necessitudinem effecerant prolixa ejus in me officia, nuper postliminio sibi redirum in patriam confecit, peregrinatione perfunctus; cuius me quoque comitem, ac socium ultro adsciverat: Sed cum tantæ voluptati meç pro imperio intercessisset tribunicia podagræ potestas, interversam itineris optati jucunditatem pensavit abundè narrantis suavitas. Utrum ex vero singula protulerit, non ausim affirmare: singula certè narrabat juratus, neque per Stygiam paludem, sed per fontes Castalios, quorum liberali potu madidis fabulosa pro veris venditare non modò fas est impunè, sed eximiam olim vettebat in laudem, Divorumque mensis admovebat. Particulam itaque narrationis hunc fermè in modum instituit. Calendis, Græcorum puto, appetente die nox occiderat: cui quòd humore ingenito elegantissimam siderum familiam splendidiùs aluisset, nec legi sumptuariæ audiens fuisset vel tantillùm, sumptus funeri defuit; adeòque tenebris suis contumulata est mendicorum ritu, una tantùm intermicante facula, quam Luciferum vulgo indigitant Stellarum nomenclatores. Siuu Corintniaco noctu feliciter transmisso, exscensione facta desertum in litus, sive nautarum fuerat error, sive consilium; iter philosophico more pedibus arripui, ajebat ille, oppiduli aspectu, quod in edito situm erat, invitatus r nec equus quidpiam juvisset reptabundum; adeò manibus, pedibusque contendendum fuit, montis jugum superare tandem adnitenti. Omnino verum est Philosophorum effatum, difficillimum esse in rebus, medium assequi: eò certè, ubi veteris Orbis umbilicum indigenæ statuebant, non nisi per quàm arduo

ascensu licuit pervenire. Amplam inibi fuisse urbem, Delphos nuncupatam, testantur disiectæ passim reliquiæ, ac rudera horrorem adhuc spirantia. Delubrum, Apollinis oraculo in terris clarissimum, excelsis cautibus innititur, aditu ancipiti, & perangusto. Templi famam vetustas magis, quàm structuræ nobilitas sustentat. Squalent parietes, regum donarijs, & anathematis nefariè per Græcos, Persas, Gallos expilati. Vacant signorum loculamenta, & magnum illud in rebus inane sibi maximè dolent contigisse, ablatis una rapina quingentis admodum statuis, Nerone depopulante. O te infelicissimum deorum Apollinem, cui nec domi tuæ licet esse securo: qui dum liberaliter mortalibus fata dispensas, ipse ad incitas toties redactus eò miseriarum compelleris, ut semper sis miser. Fateri quidem cogeris, adversùs pythonas, & monstra te validè obarmatum, adversus regum manus obtusa gestare te spicula, enerves arcus. Huc igitur frequentes per eos dies convenerant literarum cultores, & sapientiæ candidati: nam appetentibus ubique terrarum literarijs nundinis placuerat Apollini, & placitum edicto vulgaverant Pythiæ Sacerdotes, ut ad aliquot dierum spatia procul essent quicunque de bellorum momentis, & eventu, quive de regnorum conversionibus, qui de humanarum vicissitudinum fato essent consulturi, cum totus interea reipublicæ literariæ votis vacare Apollo statuisset. Conferto agmine adventantes videre erat; alios dignitatem sui præferentes barba promissa; alios raso mento recentiorum gratiam aucupantes. Neve ut quidpiam desideraretur ad conventus celebritatem, etiam vita cassis facta est potestas ad loca supera remigrandi tantisper animi gratia, annuente Pythagora. Et sanè, fuerunt qui agnoscerent, ut sibi quidem videbantur, inter plebeculæ retrimenta, un-

dan-

dante populo, repulsum non semel a limine, ac pene obrutum, divinum Platonem, nemine opem vel precariam ferente; atque illius tergo instantem magnum Stagiriten utroque erute miserabiliter læsum; Demosthenem iterum balbum; Tullium ægerrimè tolerantem exilij; & eum præ foribus mendicum oculis captum digito indicarent per carmina poscentem ingressutos obolum, & æra minuta, jurati affirmarent se non Homeri umbram sed ipsum agnoscere, sempiternæ scilicet poetarum fortunæ neque post fata immemorem. Sedato tandem adeuntium tumultu, indictoque manu silentio tripodem insedit Phœmonoe Pythiarum omnium Sacerdos maxima, cuius forma nihil olim emendatius aut habitius, ut fama erat: Sed genuinum decorem non parum deformaverat frequentior divinus furor, cum scilicet instinctus Phœbus, nullo sui detrimento, amat *alieno pectore insanire*. Adfuit etiam Mercurius Majæ filius, qui cum Apolline paulo ante in gratiam redierat, redditis ultro bobus per dolum amotis & pharetra. Cum fiquidem de literaria republica agendum esset, ac probè intelligeret Apollo, apud viros doctrina præstantes vetus esse ac solemne etiam quæ meridiano sole sunt clariora non rarò infuscare, atque in sententiam longè aliam, ac sibi voluerint scriptores, perperam pro libito detorquere; non gravatè quidem passus est deorum hominumque sequestrem atque interpretem oraculis suis adesse, eaque velut præmansa in os confulentium immittere; ut responsis fides constaret, neque falsi crimen oraculorum deo quisquam inferret: hoc enim vitio malè audire literatos homines fama est apud superos quoque, tricas nimirum ac technas patratissimos esse comminisci, litemque vel de asini umbra intendere.

Primi omnium ad cortinam accessere Gymnasiorum

toto Orbe moderatores viri gravissimi, quibus nihil erat vehementiùs in optatis, quàm ut Lyceis pristinus aliquando splendor detersa rubigine rediret. Illi de genu venerati Apollinis numen, conceptis precibus propitiare satagebant: tum modestè ac citra omnem fastum sciscitabantur: Quem modum tandem præfiniri placeret labenti ac pene prostratæ Academiarum dignitati. Tunc Sacerdos, tumentibus oculis, labris spumantibus, dei afflatum confessa in hæc verba prorupit: *pondere, non numero lycea censeri*. Oraculum statim excipiens disertior Mercurius: Quænam vos, inquit, mortales, agitant intemperiæ, ut beatissima vobis ea dumtaxat habeantur regna, quæ compluribus oppleta sunt Athenæis? Istbæc dementia, seu furor, nunquam sanè tenuit majores vestros multò sapientiores: prorsus ut in Græcia universa, quæ fermè unica olim extitit liberalium parens & alumna studiorum, præter unam aut alteram urbem, Athenas videlicet ac Rhodum, nusquam ultra paterent Gymnasia: eæque, licèt eversâ republicâ, direptis opibus, libertate profligata, doctrinę tamen famâ diutissimè florerent. Vos verò ad vigesimum quemque lapidem novas subinde excitatis Athenas, quæ se mutuò collidant ac labefactent: & succrescente in dies magis pro æmulatione, invidia & contumelia, neque antiquis Lyceis pristinum stet decus & frequentiæ gratia, neque novis accrescat. An plus immortalibus dijs vos sapere postulatis? Nos certè unam ex nostro Senatu colimus Palladem sapientiæ magistram, nec reliquis minorum aut majorum gentium dijs licere id patimur. Nostro, si libet, exemplo rationibus vestris prospicite atque consulite.

Dicendi finem vix fecerat Mercurius, cum ecce tibi vir alter pietate gravis ac prudentia, de media turba vix emergens & ægrè, quo semper infortunio probitas laboravit, propitiatum ritè Apollinem consule-

fulere instituit: Quid præcipuè germano literarum cultui capessendo conduceret; quid ab indoctis doctos secerneret? Reipublicæ siquidem non magis literariæ quàm civilis interesse, ut recta disciplinas audieodi ratio statuatur, cum ex Gymnasiis & Athenæis, tanquam ex equo Trojano, prodeant, qui ceteris mortalibus dent jura, & ad rationis normam animos flectant. Vox tinnula statim ad aures omoium allapsa per hæc verba insonuit: *Si mores absint, nemo literatus*. Oraculi mentem explanaturus Mercurius pergebat: Favete linguis. *Postquam exempla vitæ amisistis*, mortales, *neque de æqui ac iniqui finibus, quæ prima olim habebantur*, sed de hercifeunda familia, aut etiam de tribus capellis furto abactis operosè disputatis; exinde sapientiam 'perdidistis; atque umbram dumtaxat ipsius, pro Junone scilicet nubem amplexamini. Nunc satis est, si ex Gymnasijs in patriam reduces adolescentes, eruditioois omnigenæ supellectilem in Lyceis comparatam (si quid tamen compararunt) Circensem veluti pompam, cupidis parentibus ostentent: *de moribus ultima fiet quæstio*. Jam grande sophos omnium plausu ingeminatur, iam subsellia, fasces, purpura octavo Sapienti designantur: ipse interea immortalibus animi ornamentis ac præsidijs destitutus, si quid fortè infelicium literarum operà perfunctorià & primoribus labris vix degustavit, mentis pravitate contaminat. Eia quotquot adestis literarum Candidati, hoc agite: cum ubertate doctrinæ, optimam morum frugem; cum copia dicendi, rectè agendi constantiam; cum ingenij alacritate, modestiam vitæ coniungite: neque sit pluris apud vos jura populis dare, quàm animos vestros in officio continere. Ita fiet, quod monebat Apollo, quod sanctior Themis pollicetur, ut certo literarum censu æstimari contingat, si vestris literis grande pretium a moribus vestris accedat.

Tunc

Tunc ex junioribus istis nescio quis egregijs moribus & literis minimè vulgaribus instructus, ex animo dolens, nihil fermè eorum quæ ex ingenio feraci & subacto proferret, quibusdam probari; apud Apollinem perquàm familiariter de iniuria expostulavit. Cui vates, volente Deo, responsum hoc dedit: *omnium miserrimi quibus placet nemo*; & ad Mercurium conversa: Oraculi mentem, ait, exequi perge, facunde nepos Atlantis. Ille porro subiratus, virgam quatiens, qua animas .... *evocat orco*

Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit: Rei literariæ, inquit, pestes eiusmodi procul avertat Diespiter. Nam quis error fanaticus malè habet aliquos Gratiarum osores, ut cuncta Rhinocerotis naso contractaque fronte fastidiant? Apud superos quidem certè non singula mortalium improbantur: tolerantur quamplurima; multa etiam laudibus prosequimur. *Homo dumtaxat homini lupus*. Cum præstantissimi sit indoles ingenij, si, cum placeas multis, ipse tibi displiceas semper; illi e contra sibi unis placere contendunt: si alijs displiceant (id quod crebrò evenit) nihil profectò morantur. Sed similes habent labra lactucas: quippe, dum alios popello ridendos præbere postulant; ipsi de se omnium risum excitant: nihil probant; nemini probantur.

Adolescens deinde alter elegantiarum omnium ac suavitatis flos lectissimus rogare instituit: Num ad Apollinis aram aliquid furto subreptum liceret afferre: non paucis enim iamdudum hoc animo sedet, aliena venditare pro suis. Tum Sacerdos subridens, Mercurium limis oculis intuita, oraculum eiusmodi deprompsit: *Aut nihil, aut morte tuo*. Hic enimvero fuit, ubi Mercurius inter sacrum & saxum sese positum videbat: nam egregiæ artis suæ sibi conscius verebatur in fures declamare, ne asciam cruribus suis illideret. Rem

silen-

filentio tranfigere callidus feftinabat: fed, ne fufpicionem culpæ daret, quidquid erat dicturus, ita in compendium mifit. In literarijs quidem negocijs, ficuti Mufarum beneficio nihil quidquam alteri me debere, nec oftiatim eloquentiæ ac doctrinæ præfidia mihi emendicando probè intelligo; ita Apolline fratre auctore, difertis verbis edico, caveant porro eiusmodi fures manifeftarij, qui plagij crimen nihil reformidant, ne ampliùs pagellas totas ex alieno codice fideliter defcriptas huc apportent, nifi Horatianæ cornicis fupplicio fubijci velint. Nam certè indicio ipfimet fuo fatis fefe produnt: cùm fcilicet,

Purpureus latè qui fplendeat unus & alter
Affuitur pannus;

reliqua verò textura craffo filo, arte nulla, nullo colore inducta, nimiùm quantùm abhorrens, Sannionum centones conficit. Aut igitur fani confilij viros imitentur, qui malunt cum domiportis limacibus fuo fibi fucco vivere, quàm lautè ac opiparè aliena vivere quadra; aut ab opere defiftant.

Tunc Mercurius, qui ex tam multis nullos adhuc Eloquentiæ cultores acceffiffe confultum animadverterat, elata voce, ut fefe in cufpectum darent clientes fui, edixit. Premebantur, ut moris eft, viri Mercuriales imperitorum turba: qua ægrè fubmota, prodierunt omnis ætatis, & condicionis fermè innumerabiles eloquentes; lacinioſi alij, fluxoque fyrmate folum verrentes, abdita fub ferico paupertate; pannofi quamplurimi ac feminudi, Diogeni aut Iro fimiliores, quàm prætextato Tullio viro confulari, aut Demofthenì bene nummato, regiæ largitionis beneficio. Adeò nunc fermè ubique gentium vilis eft Oratorum ac Rhetorum annona, ut vel infulfi elementarij fibi ex affe obtigiffe fuo facris hereditatem hanc perquàm opulentam fomniaverint. Nimis profectò viluerunt eloquen-

quentiæ studia : & Mercurius ipse , amplissimi huius Collegij tutelare numen, nisi obeundis strenuè legationibus exciperetur aliquando lautijs & prandio adventorio , nisi subinde distrahendis mercimonijs , & ungulatis pulcbrè manibus ærufcando , aliquid sibi lucelli corraderet ; inani fretus eloquentię fama , Esuriales ferias sæpe sæpius agitare cogeretur . Quidam ergo ex eo cætu rogabant : Ecquæ tandem optimum Oratorem constituant . Statim , *lingua* , *& mens* , ait Apollo . Mercurius deinde persequitur : Toto errat cœlo quisquis Eloquentiam intra sermonis angustias coercendam putat , eumque satis facundum dici oportere , qui selectiorum vocularum violis & rosis concinnatam orationem , tanquam florilegium (putidè conquisitum) audientibus obtrudat . Fatuus ille verborum ambitus ad inanem aurium puerilium voluptatem accommodatus Logodædalos deceat , aiebat Socrates vester , minimè verò cordatos viros . Non tinnitus quidem Gallionis, non Mecœnatis cincinni rerum pondere destituti absolutum numeris omnibus efficiunt Oratorem . Mentis opibus qui polleat , qui sapientiæ robur ac rerum gravitatem, ingenuo verborum splendore prudenter illuminet, illum enimvero eloquentem habetote . Plura dicere molientem interpellat risus repentinus & sanè effusissimus omnium fermè quotquot aderant in delubro , qui terga Mercurio verterunt , aliò intentis oculis ac mente . Novum quoddam miraculum attentionem singulorum sibi penitus depoposcit , aut certè avocavit . Videre passim erat ferri per aera canas flosculorum plumulas ac volatiles floccos , tum deinde globos quamplurimos pellucidos & vacuos per inane sublatos catervatim : quos Anaxagoræ mundos dixisses , alios ex alijs subnascentes, Alexandri cachinnis potiùs quàm lacrymis dignissimos. Quæsitis ejusce monstri auctoribus , deprebensi tandem sunt adolescentes nonnulli orationibus aliquot suffarci-

nati

nati, quas non ad Epicteti, aut Cleanthis lucernam, sed ad Phaetontis lampada conscripserant. Consultum advenerant de lucubrationum suarum immortalitate, quam apprimè præsidentes sibi dubio procul pollicebantur: atque adeò Hecatomben centum ranarum faucibus Apollini facere cogitaverant. Sed diutiùs in imo templo præstolati, cum impeditior esset ad cortinam accessus, expectandi tædio affecti, ut ocium interea negociosè fallerent; alij papporum fasciculis teruncio coemptis albicans capillitium diffiabant; alij operosiùs ex Democriti fermè primordijs, detrito sapone aqua diluto, arundinis ope ac buccæ, subitarios orbes follesque majores ac prope sesquipedales ampullas effutiebant. Iræ impatiens Mercurius: Dum labes vestras emendare, inquit, atque verbosam istam inanitatem ad bonam frugem revocare nos immortales Dij satagimus; vos omnium perditorum perditissimi, id quod tanti vestra interest susque deque habentes, in sordibus vestris nidulari mavultis? Abire porro in malam rem: ineptias vestras efflictim amate quantùm libet: sine rivali, spondeo, amabitis.

Ilicet dimissus est conventus. Mercurius sese proripuit minarum plenus: Phœmonoe risit: obmutuit Apollo. sesqui-Ulysses quoque meus narrationem hic abrupit: nec ego ultra odiosus esse pergam.

I N

IN FUNERE CAESARIS MARCHIONIS DE ODDIS PERUSINI

Supremi Pontiff. copiarum Structoris

ORATIO

Perusiæ habita in D. Francisci Æde Altero ab obitu die

III. Nonas Maij MDCLXXXXVII.

INfelix Perusinorum Augusta! Tam multa intra paucissimos annos inflicta vulnera satis tibi ærumnarum importasse putabamus. Sed acervata per funera eruditis in fletum oculis, non finit inexorabilis fatorum acerbitas tandem aliquando lacrymas arescere. Luximus pridem Purpuratum Principem Romanæ patriæque dignitati ademptum; Rotalis deinde collegij florem illibatum in ipsa famæ ac gloriæ autumnitate maturescentem, celeri mortis injuria decerptum; ceterosque infulatæ aut togatæ Sapientiæ asseclas illustres uno veluti fasce sublatos ploravimus. Et militum castra letali hoc turbine afflata

satis

fatis deflectunt aut ingentis spei animique duces Perusinos Pannonica in arena munere ac factis eximios, aut præcipuarum arcium præfectos, aut Melitensi balteo insignes equites seu obsidione Chiensi, seu navali expeditione triennio nec toto præreptos: nam tempora cogimur miseri numerare nostra per funera. Nos interim primis ac succedaneis ejusmodi hostijs patriæ infortunio abundè per tot damna litatum augurabamur: cum (heu quantam in uno capire jacturam!) Cæsarem Marchionem de Oddis, veteranum bellatorem, militaris palæstræ magistrum emeritum, castrensis disciplinæ, ætatis nostræ ac patriæ, totius Italiæ atque universæ fermè Europæ, quam rerum gestarum gloria lustravit, lumen clarissimum, subitaria pompa funeramus extinctum. Ita laurea illa magnis bellorum laboribus ac periculis parta, repentino tacta fulmine abit in cupressum, ad ferale ablegatur sepulcretum. Ego verò, cui ingratum obtigit munus communem luctum extemporali comploratione utcumque præeundi, cum neque tanto argumento pares attulerim vires, neque expectationi vestræ ulla ex parte satis possim facere, unius diecalæ angustijs obsessus, rerumque ignoratione præpeditus, quas ille præclarè quidem gessit, sed severo nimis præjudicio posterorum memoriæ subtractas voluit; quid mihi supersit non video, præterquam supremum hoc afflictæ patriæ vulnus tractatione tumultuaria exulcerare, ac funeri acerbissimo vobiscum unà illacrymari.

Et sanè ad occasum interitumque devoluta sidera hoc ideo sui desiderium omnibus relinquunt; quia offusis noctis tenebris jucundissima hac luce viduatur orbis: ideo pariter Cæsarem de Oddis lugubri lamentatione non prosequi vix possumus, quia præstantissimo lumine, militaris inquam disciplinæ antesignano & magistro orbatur Perusia. Enituit ille ad exemplum

gene-

generosis Perusinorum animis, non tam avitæ claritatis prærogativa, quàm suarummet virtutum splendore, ut planè in ambiguo sit majoribus-ne suis, an sibi plura gloriæ incrementa debuerit. Neque sponte oblatam hic arripimus ansam ab ultima vetustatis memoria ad hæc usque tempora explicandi florentissimæ apud nos, & Patavinos aliosque, Oddiæ gentis illustria decora, nec recensendi Oddonum laureas palmasque triumphales, congesta devictorum hostium trophæa, equestris militiæ nobiles tesseras, copiarum præfecturas, veteres dynastias; nec relegendi longa retro serie splendidè magnificèque obitas ad florentissimas Respublicas, ad summos mortalium, ac sacrorum Principes Maximos, legationes, honoris insignia quibus Oddios proceres pluribus sæculis Cæsares ac Reges ornarunt, insulatam pietatem, sanctimoniam purpuratam. Nam & si ex avita nobilitate plurima in se decora largiter derivata videret; maluit tamen ipse de se æstimari, eaque sibi potissimùm debere, quæ majoribus imputari non debent. Præclaris enim admirantibus meritis, suffragante virtute, effecit procul dubio ut inclyti majores minimum in se fuerint momentum ad gloriam capessendam. Nondum itaque posita puerili prætexta, statim militare sagum cœpit potiùs cogitare generosus adolescens, satis habens virilem togam Julio germano fratri unicè reservari, Julio inquam Romana postmodum in aula Præsuli clarissimo, Melitensis Insulæ Quæsitori, qui pollens non modò gratia apud purpuratos proceres Estensem, Mazarinium, Sacchetrum, sed & sapientiæ fama; felicissimo cursu Vaticanum ad muricem properabat, nisi tantam fortunam tantæ virtuti fatorum invidia intervertisset. Incitabat subinde Cæsar stimulis domesticis Alexandrum fratrem natu minorem ad instauranda in se unis vetusta Familiæ ornamenta præcipua, Bartholo-

 mæum

mæum, vulgò Micciam, & Oddum, germanos olim fratres, tertio ab hinc sæculo geminos fortitudinis bellicæ atque heroicæ indolis Castores: ut propagatos videret orbis aliquando, sanguine, animis, rerumque gestarum gloria coniunctissimos, ex Oddonum progenie Cæsarem unâ atque Alexandrum. Sed & iste ad obsessi Perpioiani muros letali vulnere abreptus aore diem, maturus quidem famæ decessit, ærati ac patriæ nimis (heu) immaturus. Vix-dum igitur duodevicennis Cæsar (quæ ipsa ætas Romanis olim ad inchoaodam militiam constituta erat) manuducente Scipiooe Dionysio de Baptistis strenuo rnoe temporis bellatore, in Germaniam eo animo perrexit, ut adversùs Orthodoxæ Religionis Romanique Imperij perduelles fortiter dimicando aut sanguinis primitias Cæsari libaret ac Deo, aut præclarissima in illa bellorum palæstra Volestaino auspice tyrocinia poneret victoriarum. Hic saoe tyro jam peoe veteranus abdicatis in lubrico annorum voluptatibus cœpit aspero] viræ cultu ætatem duriùs exigere sub armis, certaminum periculis vires corporis animique assiduè firmare, exeubare ad subita præliorum, maximè ardua sibi deposcere, obsidionum, aggressionum, pugoæ cujuslibet numeros omnes callere, ætatum discrimina ln se uno nectere ardorem juveois ac senis maturitatem, corroboratæ denique fortitudinis documenta ubique dare, adeò ur festioatis honoribus alter veluti Pompejus ætatis moras prærogativa virturis eluderet. Trigesimum itaque anoum & eo aliquid ampliùs transgressus Germanicæ legionis rribunus reonciatur. Nec verò vulgarem aliquam e trivio petitam præfecturam dicimus, cum Cæsareę legionis tribunatum dicimus, quem etiam majorum gentium principibus viris, diu navata militari opera, post enixas preces, parum aut nihil suffragante summo-

nobilitate vel gratia, vix indulgeri aliquando non ignoramus. Quanta hic eximiæ in paucis Mentis & Dexteræ consilia & opera ad omnes prudentiæ ac fortitudinis numeros edita, licet divinantis in morem, animo conjectare! Fingimus, inquam, animo, nec tamen pro dignitate assequimur ea, quæ religiosè contumax non pateris ad nos pervenire, rectè factorum conscientia contentus, gloriæ superstitis juratus hostis. Nec irascimur modestiæ tuæ, Cæsar, qui res fortissimè a te gestas vivus vidensque jussisti oblivione obliterari, nobilissimis virtutis tuæ fœtubus acerbus nimium parricida. Cogimur itaque silentio inviti prætertire Lipsiense, Lutzense, Norlinganum prælium, reliquamque Germanici belli aleam, ubi alternante sæpius partium fortuna, semper eadem spectata est virtus tua operam non perfunctoriam nec tralatitiam, sed strenuam indefatigatam ac verè militarem inter primos & fortissimos ubique navare. Neque licet, ipso te vetante, posteris tradere ac gloriæ egregiæ tantæ fortitudinis monumenta, cum scilicet demandatæ non semel munimentorum hostilium oppugnationi sedulus assiduus præesses, muros quateres, missilium procellam intertitus sustineres, periculis insultares invictus, propugnacula opposita disiecta prosterneres, funera in hostes undique spargeres, ipsas felicissimè arces expugnares, susceptæ provinciæ quantumvis arduæ nunquam nusquam impar futurus. Conjurata interim Italiæ Principum arma adversùs Summum Cœli Clavigerum, vicarias Numinis partes in terris obtinentem, inito fœdere inferuntur. Ut par irruenti ad portas Annibali opponatur Scipio, ex Germania in Italiam Urbano Pontifice jubente Oddius revocatur ac totius Pontificij Equitatus Curator supremus dicitur. Æquum erat scilicet ut Italici roboris assertor haustam patrio sub cœlo invicti animi ma-

gnitudinem, alieno in solo per victoriarum documenta enutritam, ad Ecclesiæ parentis incolumitatem explicaret. Nec defuit ille quidem certè muneri suo fortissimè semper obeundo, utinam non desertus aliquando a suis. Paucis equitum turmis peditumque manipulis stipatus, ad Periliam territis latè hostibus, ipso Oddij roboris nomine victoriam pollicente, indecora repentè fuga deiectis militum animis, quos armorum pene rudes perdifficile erat in officio continere, unus fermè ingruentem hostium impressionem magnanimi pectoris umbone infractus eodemque infixus vestigio tamdiu sustinuit, donec delassata aggressorum pertinacia, quolibet discrimine majorem Oddiam virtutem fateretur. Reddita tandem Italiæ pacis optatæ fœdera, parem Cæsaris virtuti campum in Gallijs aperuere. Mazarinius Gallici Regni mens prima, Mazariniæ seu Italicæ legioni, quam totius exercitus regij robur ac nervum., legionemque verè Martiam jure dixisses, amplissima potestate Oddium præfecit. Liquidò constat ex Mazarinij epistolarum monumentis, quam certa spes purpurati Herois, quam ampla & integra fiducia Legionis suæ jam pridem per adversa bellorum & aspera itinerum deminutæ, firmandæ atque augendæ uni Oddio incumberet. Sed hæc leviora sunt, jam enim ad insigniores militaris politiæ fasces gradum facit. Adnitente nimirum Mazarinio, inter castrenses Gallicæ aciei Polemarchos spectabili honoris tessera adlegitur: & proficiscenti animis ingentibus ad Neapolitanum regnum capessendum Guisio Duci, unâ cum Demarcho Gonzaga consiliorum particeps ac fermè gubernator adiungitur, periculorum socius & gloriæ. Hic enimuero se ipsa major emicuit Cæsaris virtus. Ad Stabias in Campania inauspicato Gallorum exscensione facta, fuit aliquando cum Guisius in agmina hostilia ardentiùs provectus,

ctus, unus ferme omnium telis peteretur, opima spolia singulis sibi deposcentibus cæso Gallorum duce, si res ex animi sententia cecidisset. Et ceciderat quidem certè, nisi Cæsar de Oddis illi præsto fuisset, alter veluti Scipio Africanus, qui adhuc pubescens in Ticinensi adversùs Annibalem pugna, saucij Consulis parentis sui periculum interiectu corporis propulsavit. Talis Oddius ritu gentilitij Leonis, quem cruenta —— —— per medias rapit ira cædes, ubi maximè confertæ Hispanorum catervæ Guisio cominus inhiabant, vibrato circumquaque ense, edita late illorum strage, vitæ suæ atque hostium prodigus, Guisianæ præparcus ac nimiùm quantum sollicitus, civicam eo facto promeritus est coronam, opposito lateris Duce servato. Et tam luculenti beneficij Guisius certè memor, donec vita superfuit, illum in sermonibus in oculis habere nunquam destitit, singularem ejus industriam virtutemque omnibus imitandam proponere, amplexari, exosculari, illum denique cœlitus demissum capitis sui vindicem atque assertorem apud singulos prædicare. At quanti Oddio steterunt tantæ virtutis experimenta! Ipse ictu sclopi ea in expeditione graviter sauciatus Hispanorum captivus diuturna carceris custodia damnatur. Hic verò excelso animo toleratis ærumnis fortunam sibi non semel adversam constanter ac moderatè ferendo aut elusit, aut emendavit. Fœderatas nimirum raro vidéris Virtutem ac Feliecitatem. Num idcirco Attilij Reguli viri fortissimi vincula minoris facienda, quàm Scipionum tituli & triumphi? Militarem certè prudentiam ac præsentissimam in arduis fortitudinem semper in numerato habuisti, Cęsar; fortunæ itaque ludibria tibi ad gloriam militarunt. Falsò enim de fortuna minimè blanda conquerimur: nam & illa *more patrum iis, quos impensiùs diligunt, liberis* tri-

tristiores sunt aliquando ; ita te plurimis ærumnis & difficillimis militarium vicissitudinum laboribus exercuit, dum per ardua & difficilia novis subinde aptat imperijs.

En majora in dies demandantur munera, provinciæ ac præfecturæ deleganrur longe nobiliores. Ob fortuitam, improbatam certè, Oratori Gallico Crequio illatam iniuriam minitante trans Alpes Ludovici Regis ira, in aliquam belli procellam mox erupturа, Alexandri Septimi Pontificis Maximi invitatu, titulorum & laudum insignibus auctus adest Oddius fortissima Germanorum legione stipatus, qua sibi aditum ad Hungarici belli arenam parefacere parabat, Caroli Carrafæ purpurati postea Principis amicissimi capitis consilio & ope animatus. Adest, inquam, spectatæ virtutis bellator, universi Pontificij exercitus Instructor maximus: cujus muneris partes non mediocriter instructum nec sedentarium aliquem postulant titulo tenus ductorem. Nam ab uno Cæsare petebantur omnia gerendarum rerum consilia, universa bellici apparatus cura illum spectabat, illi denique tota innitebatur spes belli aut sapienter avertendi, aut gerendi fortiter, aut propulsandi feliciter, & ex dignitate conficiendi. Quid verò singula consectèr, quasi ornatissimi auditores ignorent supremam Venetorum auspicijs in Illyride armorum Præfecturam, vicenaria apud Innocentium Undecimum, Alexandrum Octavum, Duodecimum pariter Innocentium Sanctissimos Pontifices summi ducis emerita stipendia? Quod bellum paulò gravius sexaginta aut ampliùs intra annos universa in Europa exarsit, quod invicti roboris bellatorem, aut probatæ fidei & auctoritatis ducem non spectaverit Cæsarem de Oddis? Quam decretoriam pugnam possumus recordari (nam duodeviginti omnino iustis prælijs olim interfuit) cui Oddius non contigerit aut instaurator
acer-

acerrimus, aut inclytus profligator? Quod pacatis etiam temporibus militare munus? quæ præcipuæ belli legationes, quas pari animo non impleverit? Ipse unus Germanicus, Italicus, Gallicus, denuo Italicus, Illyricus, Pannonicus, iterum ac tertiò Italicus, ubique sui æqualis, sibi constans, semper expectatione major, honoris & famæ incremento insignior. Quanti ponderis porro extiterunt bellica ipsius consilia, planè ut nullum fere alicujus momenti militare inceptum summi bellorum per Europam Moderatores aggredi cogitarent inconsulto per epistolas Oddij oraculo!

Bellicæ verò fortitudini ac prudentiæ proh quales quantasque ancillari semper voluit urbanas ac penemonasticas virtutes! ne quis fortè cum vulgo existimet militaribus ingenijs feraciæ plurimum, moderationis minimum convenire. Cui pravæ gregalium hominum opinioni fidem profectò detrahunt temperati ad omnium virtutum normam Oddij mores. Accidit olim ut cum Cæsarea mereretur stipendia, sarcinæ omnes castrensis suæ supellectilis opulentia equestri refertæ compluribus aureorum millibus æstimatæ, incurrenti repentè hosti cederent in prædam universæ. Hostilis legati uxor princeps fœmina, Oddiæ virtutis famâ jam diu capta, sedula per servulum anunciat, virum suum se intervenïente annuisse, ut Oddia supellex ditissima postliminio ad ipsum redeat intacta, cum velit. Agit Cæsar prolixæ humanitati gratias, sed intempestivæ illius beneficentiæ nuncium libens remittit: Magnanimos, inquiens, viros nunquam accipere ab hostibus dona aut beneficia: sese præterea sarcinas qualescunque nihilò pluris facere quàm agminis impedimenta, quæ calonibus non militi nobili curam injiciant. Quæ illustrior abstinentia ex antiquorum Ducum monumentis fuit audita? Themistocles certè suos aut Pericles Athenis, aut Romæ Curios & Fabricios, ne invideat Augusta Perusia.

Ad hæc tam multis ante annis, & calente adhuc juventute, emissa ac sæpius iterata castimoniæ perpetuò servandæ vota, militis - ne sunt, an consummatæ sanctitatis viri? Præterea amplissima Pontificum aliorumque Principum diplomata & testimoniales literæ, cerataque honorum insignia chartis consignata, & (quæ jactura nullo pretio redimi potest,) præclarissima ipsius gesta dietim in Ephemerides relata, omnia, singula, ipso obrestante atque adeò severiùs iubente, heu flammis damnata, vulgarem - ne redolent an fere divinum humanarum rerum contemptum? Instillaverat nimirum tantam pietatem castigatamque morum temperationem, tum Angela Ansidæa parens matrona lectissima, tum Franciscus, Hieronymus olim, frater amantissimus, unus e tanta sobole tunc superstes, Franciscanæ strictioris familiæ, quam Cappuccinorum nuncupamus, Romana in Aula diutissimè Procurator Supremus. Cujus vestigijs si minùs insistere valuit Cæsar ætate ac muneribus impeditus, assequi certè studuit abstinentia, pietate, animi demissione, despicientia sui, quarum virtutum amore jam pridem stimulante, tertium ante annum, antequam redux se in patriam reciperet, septimum ac decimum emensus ætatis lustrum, deposito militari sagulo, expiatoque per cœlestem aflatum animo; collecto per tanta & tam multa experimenta bellico pulveri, Divi Francisci cineres maluit anteferre. Proximum scilicet funus cinis ille spectabat (neque divinum augurem eventus fefellit) sed funus, quale principes viri cum Vespasiano expectant, quos decet stantes mori; sed funus decrepitæ licèt ætati maturum, præfestinatum tamen si vires animi spectentur, non ausa morte nisi velut ex insidijs atque inopinatò fortissimum virum adoriri; funus denique, quale sibi parat Phœnix, e cineribus ad immortalitatem redivivus.

IN FUNERE
SIGISMUNDI CHRISTOPHORI
COMITIS AB
HERBERSTEIN
EPISCOPI LABACENSIS
S. R. Imperij Principis
ORATIO
Perusiæ habita in Templo augustissimo D. Petri Casinensium.
Idibus Sextil: MDCCXVI.

ET nos infelices nuper audivimus latè grassantem per circumiectas urbes mortis acerbitatem: atque utinam audire tantummodo satis fuisset; vidimus & sensimus intra domesticos parietes febrium cohortem, alicubi quidem feliciter fugatam loco cedere, alibi verò nullis medicæ artis fractam conatibus adhuc insultare. Vidimus advenas, inquilinos, indigenas post paucissimas morbi hebdomades moriendi necessitatem subire. Vidimus conjugales thalamos miserè desolatos relinqui, matres-familias

lias

lias viduitatis damna deplorare, natorum manipulos orbitatis solatia incassum quæritare. Sed divino tandem beneficio mitiùs nobiscum agi cœpit, & decrescente in dies morborum vi mortem libatis aliquot duntaxat hominum centurijs arma paulatim deponere gratulamur. Gratulamur, dixi? Heu dicti pœnitet. Proh Superi, quantam dolemus in uno capite jacturam! Sigismundum Christophorum Comitem ab Herberstein S. R. Imperij Principem, virum clarissimo loco natum, dignitate, virtute, ac moribus præstantissimum, invida, inexorabilis mors eripuit; nulli certè flebiliorem (ausim dicere) quàm mihi, quo nec raro familiariter uti humanissimè voluit. Videant itaque qui me ad ingratum hoc officium adegerunt reluctantem, quid afferre huc valeam ex dignitate argumenti, homo valetudinarius, rude jam dudum donatus, senex depontanus, præ doloris vehementia parum compos mentis, fandi propemodum ignarus. Aliquid tamen enitar utcunque: & quoniam ad nobilitatis laudem plurimum confert patriæ dignitas, quid augustius cogitari potest, quàm natale Herberstenij solum, Germania? Citra iniuriam aliarum regionum dictum volo. Germani jure optimo dicuntur Aborigines, seu indigenæ, qui post terrarum omnium eluvionem quas primùm incoluerunt sedes, & quo sermone genuino semel uti cœperunt, eadem prorsus perpetua possessione obtinent, minimèque aliarum gentium peregrinitate, aut barbarorum colluvie infecti, nunquam alieno mancipati servitio, nunquam satis domiti, Romanorum arma fortiter propulsare, plurimasque illorum legiones ad internecionem delere in more habuerunt. Gens strenua quidem bellisque gerendis aptissima, nullo tamen astu corrupta, fallere aut simulare nescia, æquitatis amantissima, legibus naturæ libentiùs quam scriptis parere, miserationem & hospitalitatem impen-

sè

sè colere assueta; Romano Imperio ultra novem sæcula intra suos fines sedem præbuit firmissimam. Potest ne quidquam Germaniea Nobilitate præstantius ostentari, cum ex præsertim familiæ apud Italos aliosque clarissimæ habeantur, quibus antiqua dederint initia Germaniæ proceres lectissimi? Hanc itaque synceram claritudinis suæ parentem & altricem bonis avibus sortita est Herbersteniana Familia, virorum omni laude dignissimorum maximè fœcunda, in plures veluti ramos diducta, semper & ubique florentissima. Possem hic ex antiquitatis penu depromere majorum ceras & imagines, honestissimum gratiæ locum apud Cæsares ferme omnes Augustissimæ Stirpis Austriacæ laudabiliter initum, cum plausu retentum; possem equestres Hierosolymitanæ ac Theutonicæ militiæ tesseras nobilissimas hic recensere, Præfecturas, Dynastias, Prætorios fasces, Legationes amplissimas, Sapientiæ decora non vulgaria, pecuniæ cudendæ iura, multiplices & longè clarissimos affinitatum nexus, quibus se gens Herberstenia cum tam multis nobilissimis devinxit, insignes victorias, trophæa illustria. Peculiarem hic sibi locum deposcerent Sigismundi nostri fratres germani natu minores duo, Henricus pridem vita functus Theutonici Ordinis Commendatarius Viennensis ac Neostadiensis, vir sane fortis ac disciplinæ militaris experientissimus; Leopoldus alter adhuc superstes non uni Cæsari a Consiliis primæ notæ, summus bellorum Propræses, Generalis Polemarchus, Prætoriæ sagittariorum cohortis Dux. Quid Fr. J. Ferdinandus Herberstenius ad-hue vivens, ad omnes Melitensis Militiæ gradus, munia, & honores citra supremum, evectus? Quid Sigismundi Christophori proneptis, Regni Neapolitani nunc Proregina? Sed me tandem reprehendo, ne videar Familiæ nunquam satis laudatæ præconium adornasse, Sigismundi

di nostri oblitus, in quo gentis suæ pars magna lau. dis sita erat; perinde ac si laudari aliunde non posit, quam ab ijs rebus, quas extra se positas, uti alienas, non magni facere consueverat. Optima illius indoles parem habuit educationem, Ernesto Friderico Comite patre, viro æque cordato ac pio, satagente, ut vitæ sanctioris institutis hic imbueretur primo loco genitus, aris destinatus, quæ animi propensio in puero luculenter emicabat. Grecij in patria disciplinis liberalibus excultus, vix adhuc pubescens, Basilicæ Uratislaviensis, & Sanctæ Crucis Canonicus renunciatur Serenissimo Leopoldo Gulielmo Austriaco inibi tunc temporis Antistite largiente. Sed ne in Clericalem militiam adlectus, & eximijs ornatus Sacerdotijs, atque adeò iam Deo dicatus, ea, quæ ad Deum, ignoraret; Romam Religionis syncerae Magistram petens, Germanico in Ephœbæo Theologicæ facultati penitus addiscendæ quadriennio toto perperem operam addixit, strenuam, singularem. Viget ibi nondum oblirerata recordatio ingenij, quo Sigismundus Herberstenius egregiè pollebat; industriæ qua in studijs assiduus, accubuns diu noctuque urebatur; vitæ ac morum probitatis, qua cæteris præstabat, & præibat exemplo. Qua virtutum commendatione motus Alexander septimus summus Sacrorum, & literarum Antistes, ingeniorum, & probitatis æstimator Sapientissimus, adhuc inter Germanicos alumnos commorantem, Canonicum etiam Ratisponensem pronunciavit, eumque honoris gradus ac titulos, qui absoluto studiorum curriculo amplissimi solent decerni, ex meriro adeptum, in patriam rediturum Pontifex Sanctissimus diserte laudavit. Sed augescentibus meritis nova succrescunt honorum insignia: Labacensis Ecclesiæ Præpositura confertur, sequuturæ postmodum majoris inibi dignitatis tyrocinium; & intra non multos annos Augustanus

Cano-

Canonicatus, deinde Passaviensis, interea dimissis Vratislaviensi ac Ratisponensi; tum Rodulphi · vuerlensis item Præpositura jurisdictione ferme Episcopali prædita; Labacensis tandem Infula Innocentio Undecimo, & Leopoldo Augusto volentibus. Hic enimvero dignus Herberstenij virtutibus datus est locus perspicuè ostendendi, quàm providè divino consilio designentur Ecclesiarum Præsules, Pastores animarum. Non enim quantam in summo Imperatore deligendo Romani veteres postulabant scientiam rei militarjs, virtutem, auctoritatem, felicitatem; sed multò plures easque maximas virtutes hic inesse oportet; ita ut nullam prorsus mente concipere possimus virrutem, quam ab animarum ductoribus abesse aliquando contingat. Quàm intenta itaque ac vigil in Herberstenio eluxit Pastoralis sollicitudo: quam egregiam laudem ab universæ Germaniæ Episcopis meritò reportavit, quamvis laudum omnino negligens, & contemptor! Quàm liberalis ac ferme prodigus, ubi pauperum præsertim ageretur causa, patrimonium suum effecerat egenorum patrimonium, pupillorum ærarium! Quid de moribus castigatissimis dicam, & ad summæ sanctimoniæ regulam temperatis, prorsus ut solo etiam aspectu fortè obvio aliquando faterentur homines vel perditi sese divinitus commoveri, & quod non semel evenit, ad bonam frugem revocatos, probitatem & ipsos altè imbibere Præsulis auctoritate & exemplo didicisse? Quid de pietate summa & cultu erga Deum & Coelites, quibus si minùs vacare posset tempore diurno, rebus utiliter & præclarè gerendis intentus, maximam nocturnæ quietis partem dabat quotidie vir sanè horarum omnium, totus curarum, totus pariter & precum? Quid de nobili illa ac pene regia totius oris, habitus, incessus dignitate, qua tantum splendoris rebus sacris addebat, ut ille inter præcipuos ad Ecclesiasticæ majestatis normam factus omnino videretur. An præte-

reun-

reunda ſeſt ſilentio æquabilis illa cum animi tum vultus hilaritatis in rebus adverſis æquè atque in ſecundis, humanitas, modeſtia, & illa præſertim manſuetudo ſuaviſsima, qua ut alter Borromæus aut Saleſius nullam ęgtè ferebat aut ſentiebat offenſam præter quam Dei? Maluit tamen plerunque Julij Agricolæ exemplo *videri inveniſſe bonos, quam feciſſe*. Quis ſatis & pro dignitate recenſeat quam amabilem indolem ad interitum uſque ſervaverit nulla morum aſperitate inſuavem, quantam ſine arrogantia magnitudinem, dignitatem ſine faſtu, quantam innocentiam, integritatem animi, comitatem, quam faciles aditus, admiſsiones inemptas, dulces affatus, oblatam ultro conſilij & auxilij facultatem? Regis Numæ religionem, atque unà Titi Cæſaris lenitatem raro fœdere coniungens ita ſingulos devinxit, ut animos cogeret vel ferreos ad pietatis officia & amoris. Plauſum dabant quotidie feliciſſimæ urbis tranquillitas, juſtitiæ tenor perpetuus, parta quies, facta ſecuritas. Quis enim non ſponte legibus pareret, ſacrarum legum vindice Herberſtenio, ex cujus vitæ morumque diſciplina, innocentiæ, modeſtiæ, amabilitatis exempla peterentur? Quis pacem & caritatem non amaret Sigiſmundo Chriſtophoro Antiſtite, pacatiſsima cuius ſuavitas animorum illecebra, quod vix terror valuiſſet alias efficere, facilè id aſſequeretur aut imitatione ſui, aut beneficijs? Subdolas verborum blanditias & Aulæ fucos Sanctè oderat vir candidus & ſimplex ac verè Germanus, probè doctus animarum Paſtoribus nihil eſſe commune cum Tiberij vafro ingenio, & longo diſtare intervallo Paulum a Tacito. Hinc ejus orationi plurimum inerat dignitatis, plurimum & fidei: nunquam ſuſpecta & obſcura verba ſermonem in incertum & ambiguum implicabant, nunquam inani ſpe ſupplices lactare aſſuetus, nunquam promiſsi fidem fallere, niſi cum ſnitè religio animo incuſſa revocaret. Hinc ingens

gens ille juvandi ac benemerendi ardor ita in omnes effusus, ut quantum in eo esset, singuli sentirent; quibus enim potuit profuir, nocuit nulli. Et mirabimur fortasse si Labacenses omnes tantus perculit doloris sensus, eum septendecim annis ab accepta Infula elapsis, migrationem Perusinam adornaret? Videre erat cuiusvis ordinis & ætatis homines Antistitis amantissimi genua complexos affusis abundè lacrymis retardare conari, ac discessum præpedire, squalere omnia, urbem atque oppida ululare, erumpere undique mœrorem ac luctum, ubique exaudiri fletus & ejulatus. Sed nimiùm urgebat sancta cupiditas sibi vivendi & Deo. Annuentibus itaque Clemente Undecimo ac Leopoldo Primo, vinculis omnibus atque impedimentis solutus anno primo ac septingentesimo ultra millesimum, Perusiam advenit (o nos felices!) aptissimam secessui urbem, sorte privata intimè fruiturus. Quàm piè, quàm sanctè hic vitam per quindecim annos transegerit, cum in comperto sit, referre supersedeo, id unum coronidis loco additurus, quod corporis afflictationem encullato homine dignam manifestò arguit. Et fuit, cum secretiorem eius supellectilem post obitum scrutantibus deprehensæ sunt tandem duæ horribiles zonæ, retrusæ & obtectæ ut visum fallerent, ex cilicio altera, altera ferreis denticulis instructa pretiosissimæ sanctitatis opes quavis regia gaza nobiliores. Quid nos multarum deliciarum homunciones; ubi tam duriter innocentiam suam plectunt viri nobilissimi, liberaliter educati, annosi? Nihil ergo mirum sit si Helennora Augustissima Cæsarum uxor & parens, sicuti Ducem sanctum vocitari gaudebat Leopoldum Comitem Herberstenium, ita Sigismundum Christophorum fratrem, Episcopum Sanctum meritò appellabat. Ita, sicut Basilij Magni domus universa Sanctorum familia dicebatur; rara hac prærogativa Herberstenijs nunc

arri-

attributa, frui dabitur & Sigefrido fratri postremo, superstiti adhuc, Divi Benedicti Monachorum parentis instituta professo. Nec mirum si Undecimus Clemens Beatissimus, quoties Perusinum aliquem ad pedum oscula libenter sinebat admitti, de Sigismundi Herberstenij rebus ac virtutibus multa quæreret, eiusque pium secessum cum aliquo sensu æmulationis commendaret: & vir nobilissimus Viennæ Antistes, quoties ad Herberstenium nostrum literas daret, post salutationis officia, sese cupidissimum imitandi Herberstenium profitebatur. Sed tandem ingravescentibus morbis, viribusque jam prostratis, Sigismundus, oculis in Cœlum, quò anhelabat, continenter defixis, spiritum in manus Domini crebriùs commendans, annorum plenus & meritorum ad Cœlites evolavit: quos in terris degens & venerabundus colere, & sanctis virtutibus studuit imitari. Tu verò Cœlo receptus, ut piè nos credere sancti tui mores docent, doloris nostri ob gravissimam jacturam significationes, funebri hac etiam apparatissima pompa datas, amplissimis licèt promeritis tuis longè impares, gratas habe: nobisque tui amantissimis, post mortalis vitæ tædia hinc abituris, propitius viam sterne.



PERUSIÆ MDCCXXV.

Apud Constantinum Impress. Cam. Episc. & S.Off.
Superiorum Permissu.

